



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Lib. III. cap. 5. & 6. de Libertate Arbitrii à necessitate

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

aliquatenus dubio meditationes, propriis & privatis, ut monui, hypothecibus inservientes prolixius excutere non est necessarium, cum ex dictis mens Augustini non sit incognita, nobisque nunc ad alia magis necessaria duce Bellarmino progredi incumbat ex instituto.

LIBRI TERTII,

CAPUT QUINTUM & SEXTUM.

De

QUÆSTIONE,

An ad liberum Arbitrium exigatur libertas à necessitate.

ILLam nunc adgredimur Quæstionem controversam, quæ, uti post Chemnitium observavit Hülsemannus noster in Præfatione Dedicatoria ad Disputationes de *Auxiliis Gratia*, primos expresit *Luthero* vere Megalandro sudores in facum Scholasticarum absterfione, integra ante Disputationem de indulgentiis habitam proposita ad disputandum Quæstione de *viribus & voluntate hominis sine Gratia* contra doctrinam Papæ & Sophistarum, quæ primum in Tomis operum *Ienenfis* locum occupat.

Videlicet, quæ Crîsis est laudati modò Theologi, nullum aptius thema videbatur, cujus veritas adpersione congruentiarum moralium ex *Aristotele* poterat labefactari, quàm hæc ipsa de *viribus arbitrii* Quæstio, ex cujus centro in universam credendorum compagem aut veritati ducuntur lineæ, aut nexus impietati, non solum circa illa capita, quæ ex necessitate mediis, ut loquuntur, sunt credenda, sed ea quoque, quæ ob necessitatem præcepti & dicentis majestatem admiranda, non juxta rationis humane decemipedam erant metienda. Addatur altera *Lutheri* Disputatio sequenti Anno publicè ad Examen proposita, ejusdem cum priore argumenti, thesibus oppositis partim communi, partim multorum, partim etiam aliquorum è Scholasticorum numero nominatim sententiæ, videlicet *Scoti*, *Bielis*, *Occami*, *Cajerani*, sicut pagina primi *Ienenfis* Tomi nona & sequentibus est legere; unde principium instituto præsentis inserviens huc omnino debet adponi, quod ita habet: *Dicere, quod Augustinus contra hereticos loquatur excessivè, est dicere, Augustinum ubique ferè mentitum esse. Idem est Pelagianis & omnibus hereticis tribuere occasionem triumphandi, imò victoriam. Et idem est omnium Doctorum Ecclesiasticorum auctoritatem illusioni exponere.* Hoc ideo libuit excerpere, quia laudatus paulò ante *Chemnitius* egregiè etiam observavit, quod *Augustini* tempore Dei beneficio lux aliqua sit restituta Doctrinæ de Gratia Dei, exordium & initium fuisse *re-purgationem loci de libero hominis arbitrio*. Quò majori studio laborandum est, ut *Augustini* doctrina in hoc etiam Controversiæ puncto à fulgine Scholasticorum liberetur, & orthodoxiæ Evangelicorum ex sententiâ *Lutheri* restituatur. Equidem, uti olim, ita hodiè etiam non defuerunt, qui dum *Augustinum* ad suas partes trahere non potuerunt, cum vel inconstantia, vel ad minimum alicujus obscuritatis accusare sunt conati. De antiquioribus nulla nunc nobis est cura. Inter recentiores præ aliis pluribus scribere ausus est *Nicol. Romæus*, *Brugensis*, non incelebris è Societate *Ignatii* scriptor, in *Effigie Calvinii*, maximo cum adplausu ante hos plus quàm quinquaginta annos *Antverpiæ* editâ, fatendum esse, quod *Augustinus* aliquando habeat aliquas difficiles sententias. Et quia notanter addit, *Ejus mentem potius, quàm verba spectari oportere, ne aliquando manifestè sibi contradicat*; ideo ad hujus præscriptæ observationis tenorem tractatio præfens omnium commodissimè instituetur, præmissis iterum ex morè hactenus recepto iis, quæ *Bellarmini*

larminus ad suæ thesæ defensionem ex Augustino adduxit, & ad ejusdem loca in antithesæ gratiam producta respondit. Thesis est, *libertatem à necessitate omnino requiri ad liberum arbitrium, neque satis esse libertatem à coactione Evangelico-Lutheranis oppositam esse hanc thesin, ex capite constat antecedente, ubi de Lutheranis scribit expressè, eos non negare liberum arbitrium, si sola requiratur libertas à coactione.* Hanc ergò thesin suam ut demonstret ex Augustino, non uno ejus utitur testimonio. Primum est ex opere contra Faustum, ubi ita scribit: *Nos sub fato Stella. L. II. c. 5. rum nullius hominis genesin ponimus, ut liberum voluntatis arbitrium, quo vel bene vivitur, vel male, propter justum Dei judicium ab omni vinculo necessitatis vindicemus.* Secundum ex opere de libero arbitrio, ubi Augustinum perpetuò libertatem necessitati opponere scribit Bellarminus. Tertium ex libro de verâ religione, ubi hæc leguntur, *Si necessitate id fecisset, Adamus nimirum de vetitæ arboris fructu edens cum Eva, nullo peccati vinculo teneretur. Quartum ex Epistolâ post quadragesimam sexta & septima, ubi dicit, Quæstionem de Concordia Gratia & liberi arbitrii obscurissimam esse & à paucis penetrari. Quintum denique ex libro de Gratia Christi, ubi itidem dicit, hanc Quæstionem esse adèò implicitam, ut, cum Gratia defenditur, liberum arbitrium videatur negari; & contra, cum defenditur liberum arbitrium, negari videatur Gratia.* At, ita ad posteriora duo hæc Augustini testimonia notat Bellarminus, si liberum arbitrium non aliam exigeret libertatem, quam à coactione, quæstio esset facillima, vel potius nulla.

Non verò ita videt Bellarminus hanc rem ex Augustino confectam, ut non aliqua ex ejus diversis operibus essent testimonia, quæ Evangelicorum sententiæ possent videri faventiora, idèò ad ea prolixius & operosius respondere studuit, ne hic Doctor augustissimus sibi ullatenus cripiatur, & ad Evangelicorum castra pertinere à quoquam existimeretur. Sunt autem numero quatuor, quæ cum responsis Bellarmini huc adponi necessum est, ut, quid de iis sit statuendum, Lectori Veritatis studioso sit eò manifestius. Primum igitur est ex Enchiridio ad Laurentium, quod sic habet: *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quæ beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possumus.* Ex hoc enim loco videtur posse colligi, inquit Bellarminus, non requiri libertatem à necessitate, sed solum à coactione, ut voluntas dici possit libera; nam beatitudinem volumus necessariò, nec possumus eam non velle, & tamen liberè volumus, quia non coacti, sed spontè & libenter volumus. Respondet autem, voluntas nostra, tamen si libera non sit in adpetenda felicitate quoad specificationem, quia non potest velle miseriam, libera tamen est in hac vitâ quoad exercitium, quia potest adpetere felicitatem & cessare ab adpetendo. Præterea tum in hac vita, tum in alia voluntas est libera, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem in aliis rebus eligendis, quæ cum felicitate non sunt necessariò connexæ. Hoc igitur est, quod Augustinus dicit, posse voluntatem remanere liberam, licet in aliqua re, vel aliquo genere libertatis non sit libera. Nam in aliis rebus, vel in iisdem, alio genere libertatis erit liberrima, & pro arbitrio poterit agere & non agere, velle & non velle. Secundo est ex eodem libro Enchiridii & opere de Civitate Dei, ubi de beatis in alia vita sic loquitur: *Nec idèò liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt; magis quippè liberum erit à peccandi delectatione, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem.* Bellarminus respondet, Non vult Augustinus significare, beatos liberum arbitrium ad peccandum & non peccandum habituros, id enim pugnaret cum eo, quod dicit, eos tales futuros, ut non possint peccare ullâ ratione; sed indicare voluit, per necessitatem non peccandi non tolli liberum arbitrium beatorum, imò potius confirmari. Qui enim peccare non possunt, in bono eligendo sunt liberrimi, & possunt eligere hoc aut illud bonum, vel unum & idem eligere vel non eligere, sine ullo errandi periculo. Possent autem eligere malum, non est virtus liberi arbitrii, sed defectus; nihil enim aliud est, nisi posse in eligendo falli & errare. Itaque hoc remoto defectu non perit, sed fortius liberiusque efficitur liberum beatorum arbitrium. Tertium est ex libro de Naturâ & Gratia, ubi ita scribit: *Perquam absurdum est, ut idèò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod esse volumus beati, quia id omnino nolle non possumus; nec audemus dicere, Deum*

Deum non voluntatem habere, sed necessitatem iustitiæ, quia non potest velle peccare. Quo loco videtur Augustinus velle, inquit Bellarminus, voluntatem nostram in eo liberam esse; quod beatitudinem vult, quamvis eam velit necessariò, & Deum liberè iustitiæ velle, licet eam velit necessariò. Respondet enim Pelagio, qui dixerat, eum privari libero arbitrio, qui constringitur necessitate, & adlerit contra, non eum privari libero arbitrio, qui necessitate constringitur, & duobus probat exemplis, hominis liberè beatitudinem volentis, & Dei liberè volentis iustitiæ, quamvis uterque ad ea volenda pariter necessitate constringatur. Respondet, Augustinus significat eo loco, eum, qui vult beatitudinem, constringi quidem necessitate quoad specificationem, quia non potest velle miseriam, tamen non ideo privari libero arbitrio, quia potest quoad exercitium velle & non velle beatitudinem; pari ratione Deum velle iustitiæ ex necessitate quoad specificationem quandam, quia non potest velle iniquitatem, sed non ideo privari libero arbitrio, quia potest & quoad exercitium iusta quædam facere & non facere, & quoad specificationem ex multis iustis unum alteri præferre, illudque eligere. *Objicit postmodum subimit ipsi sequentem in modum:* At non videtur id contrarium sententiæ Pelagii; Is enim, cum ait, privari cum libero arbitrio, qui constringitur necessitate, de libertate & necessitate loquitur respectu ejusdem rei & modi, non autem respectu diversorum. Et respondet, Pelagii verba esse ambigua, & sententiam veram ac falsam habere posse, & ideo ab Augustino non simpliciter reprehendi, sed solum, quâ parte poterant esse falsa. Itaque non ait Augustinus, verum non esse, quod Pelagius dixerat, sed, *Et hic nonnulla Questio est,* inquit, ac deinde ostendit, quomodo possit fuerit, ut aliquis necessitate constringatur, & tamen libero non privetur arbitrio. *Quartum* denique & iterum ex opere de Civitate Dei, ubi hæc leguntur: *Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus esse necesse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis. Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse, Deum semper vivere & cuncta præscire.* Bellarminus respondet, Augustinus in principio capitis distinguit necessitatem in duas species, dicit enim, esse quandam necessitatem, quæ facit, ut res non sit in potestate, qualis est necessitas moriendi; non enim est in nostrâ potestate, mori aut non mori; aliam autem esse necessitatem, quæ non facit, rem non esse in potestate. Ac priorem quidem necessitatem fatetur Augustinus pugnare cum libertate, & ideo non esse dicendum, voluntatem nostram esse sub tali potestate; posteriorem dicit non pugnare cum libertate, & ideo non esse timendum, ne talis necessitas, si admittatur, libertatem auferat voluntatis. Et posterioris hujus necessitatis quatuor ponit exempla. *Primum* est de vita Dei. Necesse est enim, Deum semper vivere; & tamen non ponimus Dei vitam sub necessitate, quæ tollit libertatem. Ubi per vitam Dei intelligimus actionem; vivit enim Deus, dum intelligit & vult. Et quamvis necesse sit, Deum semper vivere, id est, intelligere & velle, tamen non tollitur libertas ejus, quia multa vult liberè, & proinde etiam liberè intelligit practica intelligentia. Itaque necessitas semper vivendi cadit super actum intelligendi & volendi, non super modum operandi. *Necessariò* enim semper Deus intelligit & vult, sed non necessariò applicat hunc actum ad hoc aut illud faciendum, sed liberè. *Secundum* est de præscientia Dei. Necesse est enim, Deum præscire cuncta; & tamen præscientia Dei non ponitur sub necessitate libertatem tollente, quia necessitas præsciendi est ex hypothesi, non absoluta. Posito enim, quod Deus velit aliquid esse futurum, necessariò præscit illud esse futurum; sed sicut poterat Deus absolutè non velle, illud esse futurum, ita poterat absolutè non præscire, esse futurum. *Tertium* est de potentia Dei, quod ponitur ad illustranda duo superiora. Necesse enim est, Deum non posse mori aut falli, & tamen est omnipotens. Sicut igitur Dei potentia per hoc non minuitur, quod non potest mori aut falli, sic etiam non minuitur ejus libertas per hoc, quod necesse est, eum semper vivere, & cuncta præscire. *Quartum* maxime facit ad rem, scribit enim: *Necesse est, ut homo, quidquid vult, libero velit arbitrio, & tamen non propterea liberum arbitrium ponitur sub necessitate libertatem tollente; nam illa necessitas, de qua dicimus, necesse est, hominem liberè velle, non solum non facit, ut opera liberi arbitrii non sint libera, sed cogit, ut sint libera. Non enim cadit illa necessitas super opera, sed super modum, & est ex hypothesi, non absoluta, non*

L.V. c. 10.

ta; non enim necesse est absolute ut homo hoc velit aut illud, sed est in ejus potestate velle hoc aut illud, & velle hoc aut non velle. Tamen posito, quod velit, necesse est libere cum velle, quia talem operandi modum ejus natura postulat. Vides igitur, ita subjungit Bellarminus, ex Augustino colligi manifestè, libertatem arbitrii requirere, ut opus sit in potestate, & pugnare non solum cum coactione, sed cum omni absoluta necessitate.

Ita de Arbitrii libertate in homine post lapsum ante Conversionem in spiritualibus exlusa omni necessitate Bellarminus, utpotè quæ hic præcipuè venit in controversiam, quorum plerique Scholasticorum ante & post eum sentiunt, Pelagio nimirum post integrum annorum chilianum erroris nefandi hæredes obtinente, donec antecedente Seculo in publico & solenniter *Lutherus* eisdem cæpit obviam ire, & directè ad scripturæ tenorem ac Augustini mentem ex ordinis instituto eos viriliter oppugnare, hoc autem Seculo *Jansenius* Yprensis eandem continuare telam, utut, quod negari non potest, ex hypothese Prædeterminationis Divinæ, sicuti supra observatum est, ad alterum inclinaverit extremum & arbitrii post lapsum libertati ipsam quoque repugnare in doctrinâ de gratiæ efficacia irresistibili & inevitabiliter operante, & quidem non ad bonum modò, sed etiam ad malum, denegaverit, Augustini autoritate non semel, sed sæpius cum summa ejusdem injuria abutens. Quidquid verò sit multa in Scholasticorum methodo notavit circa hoc Doctrinæ caput erronea, quæ olim Augustinus in Pelagianis duxit castiganda. Præsentem quod attinet controversiam de necessitatis convenientia cum arbitrii libertate, non præter rem erit, si ejus animadversiones hic proponantur per epitomen, ut quomodò Scholasticis cum Pelagianis conveniat, sit exinde manifestum. Tomo igitur primo, quem integrum *Heresi Pelagiana* ex Augustino describendæ consecravit, mox sub initium libri numero & ordine quarti ostendit, quâ ratione *Julianus*, Pelagii primarius adfles, è peccati definitione, quam ante exortam heresin Pelagianam in opere de *duabus animabus contra Manichæos*, circa alium planè statum Controversiæ dederat Augustinus, arripuerit ansam, arbitrii humani indifferentiam, eamque plenissimam ad bonum & malum statuendi & inculcandi. addito, in hac ipsa met stare rationem libertatis, undè sequatur, primo, nullam prorsus esse vel esse posse peccandi necessitatem seu arbitrii captivitatem ad unam partem, utpotè quæ ex diametro libertati arbitrii atque isti ad bonum & malum indifferentiæ adversetur; deinde, non posse per Justitiam homini peccatum imputari, nisi illo, quo dictum est modo, sit liberum, & hinc esse, quod fractam libertatem clamaverint Pelagiani, si illa bicornis auferatur indifferentia ad bonum & malum. Ex hisce non difficulter patere puto consensum doctrinæ Scholasticorum, ut eam nomine communi Bellarminus expressit, cum erroribus Pelagianorum. Ut autem dissensus Augustini quoque manifestus fieret, operam dedit *Jansenius* singularem & satis operosam, ita tamen semper intelligendus, ut præoccupari, ne quod ab extremorum altero nobis immineat periculum. Tomo igitur secundo, cujus partem primam impendit explicando *Statim Nature lapsæ*, postquam ex Augustino ostendit, perisse non modò libertatem ad agendum bonum, sed etiam abstinendo à peccato, id porro ex eodem suscepit demonstrandum, loco libertatis abstinendi à peccato inductam esse peccandi necessitatem, de quâ sancti Doctoris mentem verbis exprimit sequentibus: *Quod si quis juxta istam Augustini doctrinam intellexerit, quo pacto jam non sit liberum ante fidem abstinere à peccato, facile intelliget istius pronuntiati veritatem, quo videlicet pacto in peccati necessitate sumus præcipitati, quod non minori certitudine & adseverantia docet Augustinus. Si enim non est liberum abstinere à peccato, profectò necesse est peccata facere, ut per se patet liquidissimè; nam propterea duo ista promiscuè & proisdem ab Augustino solent usurpari. Invectam igitur esse peccato primi hominis necessitatem peccandi ferre non poterant Pelagiani, nec hodiernum ferre possunt plerique Scholasticorum. Non enim dubitabant, illud esse ipsissimum hæresis Manichææ fermentum, super quo gravissimum inter Julianum & Augustinum fuit conflictus. Julianus enim Philosophia subnixus adseverantissimè confirmabat, istam necessitatem capitaliter arbitrii libertati repugnare. Sed hanc arbitrii libertatem ad bonum & malum Augustinus pro utrâque parte subvertit funditus; docet enim contra Pelagianorum istas adseverationes, arbitrii libertatem non solum cum necessitate solius boni faciendi posse consistere, sed etiam cum necessitate solius mali, imò ex necessitate*

tate boni salvam libertatem relincente probat, *eam nullâ etiam mali necessitate periri.*

Hanc Augustini sententiam ubi ex variis contra Pelagianos operibus prolixissimè deduxit *Iansenius* quasi exploratissimam certissimamque, duo adhuc sibi existimavit præstanda & uberius declaranda, *unum*, quomodo ea possit consistere cum alia sæpius iteratâ ab eodem Augustino sententia, quâ ad placandos Pelagianos dixit, non periisse liberum de humano genere arbitrium, maximeque quâ adseruit, nos adhuc post lapsum habere liberum arbitrium ad bonum & malum; *alterum*, quâ ratione tota hæc doctrina de sublatâ boni libertate, inductâque peccandi necessitate sit intelligenda, utrum respectu singulorum actuum, an generatim duntaxat ad implendam totam Iustitiam, univèrsaque peccata vel mortalia saltim declinandâ? Hoc est, utrum arbitrium careat libertate, quâ faciat vel unum & minimum opus bonum; an verò tantummodo, quâ totam Iustitiæ legem impleat, ab omnibus omnino peccatis declinando, miris enim tricis mens Augustini planissima à Scholasticis radicem ejus non penetrantibus est implicata. Prius quod attinet, duplici sensu intelligi potest, liberum arbitrium periisse de genere humano. *Unus* est, ut ipsa potentia, quæ non est aliud, nisi voluntas, quâ volumus aliquid, periisse censetur; *alter*, ut status voluntatis, secundum quem aliquid liberè potest velle, salvâ licet potentia, interierit. Pelagiani igitur, quando impingebant Augustino calumniam illam, quod liberum arbitrium per peccatum interiisse traderet, non juxta primum, sed secundum loquebantur sensum. *Iulianus* enim sæpius & apertè profitebatur juxta Augustinum, voluntatem velle posse malum; velle autem non potest sine potentia voluntatis. Sensus igitur calumniæ Pelagianorum fuit, quod juxta doctrinam Augustini status liberæ voluntatis periisset, ita videlicet, ut quidquid jam vellet homo sive bonum, sive malum, non amplius jam liberâ vellet voluntate, eo modo, quo nos dicemus, somno perire libertatem non quasi potentia voluntatis auferatur, sed quia status libertatis tollitur, ut illo impedimento præpedita voluntatis dormientis nullo motu libero moveatur. Inde porro ista accusatio Pelagiana fuit profecta, quod libertatem voluntatis in eo essentialiter sitam esse crederent, quod voluntas simul posse velle bonum & malum. Cùm igitur iste sit calumniæ Pelagianorum sensus, per facile est intelligere, quo sensu Augustinus illam depellendo neget periisse liberum arbitrium de genere humano. Nam quamvis sentiat & constanter doceat, libertatem ad bonum peccato periisse, ita ut ante-quàm per Fidem & Gratiâ liberetur, non possit quidquam operis boni facere, non tamen idcirco Augustini sensu & judicio sequitur, liberum arbitrium, sive potentiam spectes, sive statum, juxta quem aliquid velle potest libere, peccando periisse; nam ante saltem, quàm liberetur per Fidem, liberum arbitrium liberrimè potest peccare, quamvis in illo statu bonum velle non possit. Nam ad actum liberum non requiritur indifferentia contrarietatis, non diffidentibus illam veritatem Neotericis etiam, cùm hoc in DEI, Angelorum & hominum beatorum libertate sit manifestum; meritò igitur etiam sublatâ per peccatum bene agendi libertate negat Augustinus, liberum arbitrium periisse de genere humano. Ut summum enim sequitur ex illa servitute, quâ sub peccato sibi dominante captivum jacet, libertatem arbitrii ad pauciores actus, videlicet ad solos malos esse coarctatam; quemadmodum vice versa ex immobili illa Iustitiæ servitute, quâ Amoris Divini vinculis captivi DEO felici necessitate serviunt, sequitur arbitrium voluntatis ad solos actus bonos esse restrictum, sine præjudicio libertatis, utrobique enim ad actus sibi convenientes, sive malos tantum sive bonos tantum manet incolumis. Hoc igitur sensu negat semper Augustinus liberum arbitrium periisse, quia videlicet non perit ad malum, quamvis nullum sit ad bonum, nisi per gratiam ante liberetur. Majorem habet difficultatem, quo pacto non liberum modò arbitrium peccato periisse neget Augustinus, quod propter libertatem, quâ perpetrantur peccata, facile est intellectu; sed expressè etiam Pelagianis respondendo dicit, *liberum arbitrium & ad malum & ad bonum nos habere consistendum est;* & in secunda ad Valentinum Epistolâ, *Catholica Fides neque liberum negat arbitrium, sive in Vitam malam, sive in bonam.* Nam illis in locis indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum videtur etiam post peccatum adserere & ita præcedenti adsertione suâ strenuè contradicere. Sed respondemus, scribit *Iansenius*, per

de corrept.
& gr. a pr.

per hæc & similia loca non hoc velle Augustinum significare, quod arbitrium post peccatum sit adhuc liberum & indifferens, ut faciat bonum & malum, sicut ante peccatum fuerat, hoc enim illa servitus peccati & captivitas, cui arbitrium est subjugatum, & liberationis necessitas, prorsus fallum & directissimè contra Augustini mentem esse convincit; sed hoc vult, liberum voluntatis arbitrium esse id, quod non solum male, sed etiam bene vivimus, nec vitam tantummodo malam, sed bonam quoque agimus. Per quid autem, seu, quâ potestate faciamus aut malum aut bonum, alia est *Quæstio*, cujus solutionem quamvis non illis, aliis tamen plerumque verbis adungere solet Augustinus, ne quis imperitior fortè suspicietur, quod, sicuti neutrum sine liberâ voluntate nostrâ fit, sic utrumque etiam indifferenti nostrâ voluntate fiat, etiam si gratia voluntati non conferat bene agendi libertatem seu potestatem. Hæc ubi iterum ex more deduxit prolixissimè *Iansenius* subdit porro ad Augustini mentem uberius explicandam, non alio sensu nobis post lapsum ante reparationem superesse libertatem arbitrii ad bonum, nisi quia arbitrium est tantummodo capax boni, hoc est, quia DEO, quod amissum est, reparante actualem bene faciendi libertatem potest recipere; per hoc enim ipsum, quod Imago DEI est, licet attrita jam vanitate & obsoletâ verustate, libertatem potestatemque bonæ voluntatis recipere, eaque receptâ bonum velle iterum, ac diligere & operari potest. Et in hoc differt Augustini sententia à perversitate Manichæa; scribit porro *Iansenius*, quæ delirabat, statum illum, in quo carni nascimur subditi, & sub peccato ceu Concupiscentiæ dominio captivi, esse naturalem homini statum, ita videlicet, ut natura ejus ista esset naturaliter mala & incapax boni. Nullo autem modo Manichæum sapit, qui quis ponit, naturam humanam bonam & liberam esse conditam; sed propria voluntatis vitio bene faciendi libertate spoliata, & beneficio gratiæ reparabilem. Hæc enim Catholica Fides docet, & hoc ipsum docendo destruit Manichæum, qui nec vult bonam esse conditam, nec cum bene faciendi libertate, sed sicut nunc nascitur sub peccato captivam, nec vitii delectatione, sed solâ naturarum separatione posse liberari; quam eandem recipiendâ libertatis bonæ capacitatem nobis tantummodo reliquam esse significavit Augustinus disertissimè.

Et hætenus de priori difficultate, quoad superstes liberum in homine arbitrium post lapsum, *Iansenius* ex Augustini sententia. Nunc explicat alteram; quo videlicet modo debeant intelligi, quæ de amissa bene faciendi & a malo abstinendi libertate, ipsaque peccandi necessitate sunt dicta ab Augustino. Multi, ita pergit *Iansenius*, Philosophicis hæc de re Disputationibus & cogitationibus magis, quam Ecclesiasticæ Doctrinæ regulis adsuefacti, ad amissam omnem bene faciendi libertatem & incumbentem generi humano necessitatem peccandi, quasi ad spectrum Manichæorum exhortescunt; quod ut fugiant quam longissimè, incognita sanctissimo Doctore ac ejus discipulis postica aperuerunt, hoc est, excogitatis ex Philosophia gentium effugiis, quæ nunquam antiquis Patribus illis ad rem istam explicandam vel in mentem venerunt, doctrinam eorum immutarunt. Quapropter genuina eorum sententia eruenda est, ut omnibus pateat, quam aperte recentiores à fundatissimâ & Ecclesiæ antiquæ receptissimâ Doctrinâ discesserint. Mentem enim eorum tam esse perspicuam ausim dicere, ut vel ipsos adversarios ejus eâ proposita aut oculos claudere sit necesse, aut eorum doctrinam non aliò torqueri posse, profiteri. Bonum igitur, ad quod arbitrium liberum vel non liberum esse dicitur; aliud juxta recentiores est spirituale & ad vitam æternam utile, aliud morale. Illud à Fide incipiunt, & in omnibus suis actibus eam supponere; hoc Fidem prævenire etiam, & in infidelibus quoque necum fidelibus; naturæ & rationis dactum sequentibus posse locum habere. Itaque admittunt facile, arbitrium humanum respectu actus Fidei, Spei, Charitatis, cæterorumque bonorum operum ex Christianis, aliisque virtutibus infusus (*NB. Hæc accipi debet ex sensu hypothetico*) profluentium, non esse liberum ante gratiam, quamvis respectu Virtutum operumque naturalium, quæ moraliter tantum sunt bona, liberum ante Gratiam esse non desinat.

Quapropter cum Augustinus toties dicit, amissam peccato esse arbitrii libertatem, hoc intelligunt respectu Fidei veræque Justitiæ, hoc est, illorum operum respectu;

respectu, quæ ex fide CHRISTI debent proficisci, ut ad Salutem veram Vitamque æternam ali quid operanti (fortè legendum, operando) possint conferre. Nam hujusmodi opera non possunt ullo modo à voluntate fieri, nisi Gratia DEI per CHRISTUM JESUM ante liberaverit arbitrium, vel certè adjuverit; nam arbitrium fieri liberum in Scholis recentiorum jam penè est inauditum. Verum hoc esse, neminem Fides Catholica dubitare finit, quæ contra Pelagianos docet, nos neque credere posse DEO revelanti neque sperare vitam æternam, neque DEUM diligere, ut expedit ad salutem, neque bonum ad adsequendam vitam æternam conferens operari posse, nisi DEUS illa per gratiam operetur in nobis. Sed sicut certum est, hoc Augustinum inprimis docuisse, quando tradidit, amissam esse libertatem faciendi operis boni; ita Doctrinam ejus pariter latius longè, non minus est exploratum. Docuit enim, non tantùm non esse liberum arbitrium nostrum, hoc est, non habere in potestate & libertate sua facere opus veræ Pietatis Vitæque æternæ meritorium, nisi ante gratia CHRISTI liberaverit arbitrium, & ad omnem actum & sermonem & cogitationem adjuverit; sed etiam non esse liberum, seu non habere in suâ potestate opera moraliter bona facere, ita videlicet, ut non solum non habeat potestatem, quâ universam Justitiæ moralis legem impleat, sed nec illam, qua vel unum opus moraliter bonum operetur. Moraliter autem bonum sensu planissimo hic nihil aliud adpellamus, quam actum honestate quâdam morali ita bonum, ut non sit peccatum, sive ad æternam conferat vitam, sive non conferat, à quâ boni moralis notione nec Scholasticos dissentire puto, sic enim video non nullos (*Bellarmino ad marginem notato*) actum moraliter bonum & actum sine peccato pro iisdem usurpare. Si enim fuerit peccatum, quantâcunque exteriori vel interiori honestate vestiatur, nemo cum dixerit esse moraliter bonum, nec ad ejusmodi actum quicquam opus esse indicaverit gratiam arbitrii liberatricem.

lib. V. de
grat. & lib.
arb. c. 5. &
seqq.

Huc igitur redit ista Disputatio, utrum senserit Augustinus ac ejus Discipuli, & consequenter Ecclesia Catholica, quæ eorum in hac parte Doctrinam adversus Pelagianos fuit amplexa, arbitrium post hominis lapsum ita captivum esse & benè faciendi libertate spoliatum, ut quidquid ante gratiam fecerit, hoc est ante Fidem, undè libertas à peccato incipit, non tantum nihil ad pietatem & salutem conferat, sed neque sit moraliter bonum, utpotè quod sit verum & proprie dictum peccatum? Itaque in hac Quæstione indubitatum existimamus, esse illam Augustini ac Discipulorum eius Sententiam, nullum opus bonum, ne moraliter quidem ab humano posse fieri arbitrio, nisi per gratiam non quamlibet, sed fidei liberetur; ut proindè ante Fidem non sit ei liberum à peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abstinere, sed quocunque se verterit, quâdam humanis viribus insolubili necessitate peccandi teneatur. Quâ sententiæ Augustiniæ expressione satis indicatur, quo pacto juxta mentem ejus debeat intelligi, si dicatur, periisse libertatem ad bonum, non solum, ut non possit ante gratiam Justitiæ moralis legem totam implere, sed nec unum quidem opus ejus; item, periisse libertatem abstinendi à peccato, ut nec in ullo quidem opere possit effugere peccati culpam, quin & inductam esse peccandi necessitatem, non tantum in aliquibus actibus, quasi tantummodo significasset Augustinus, non posse hominem ante gratiam sine omni peccato vivere omnino, eò quod aliquando cadat necessario, sed ejus sensum esse, inductum esse peccandi necessitatem in omnibus actibus, eò, quod omnis ejus actus ante-quàm credat, peccatum sit, sive peccati tentationem fugere, sive amplecti videatur.

l. IV. c. 19.
& seqq.

Id ubi per partes amplissimè ex Augustino confirmare studuit *Iansenius*, ad ea quoque progressus est testimonia ex eodem Augustino, quibus Scholastici Doctores ad opinionem suam exemplo Bellarmini solent ut plurimum abuti, ostendens, quomodo juxta mentem ipsorum etiam Scholasticorum arbitrii libertas in peccando cum peccandi necessitate consistat, & declarans, quomodo liberum sit abstinere à peccato juxta mentem eorundem Scholasticorum, etsi hoc negare videatur Augustinus, solvensque objectionem de potestate vitandi peccata, ac fuscè docens, quæ peccata, & quâ libertate possint vitari, quæ non, ut & quæ-

nam

nam ex imbecillitate vitandi esse definant peccata, quæ non, & quomodo secundum eundem Augustinum omnia omnino peccata etiam poenalia vitari possint sine præjudicio Doctrinæ præcedentis de necessitate peccandi & sublata libertate beneficiendi, atque sic etiam præcepti, cohortationis, objurcationis, vituperationis &c. Rationem non ob stare necessitati peccandi juxta sensum ipsorummet Scholasticorum, multò minus juxta Doctrinam Augustini.

Et uti in primo & secundo Tomis argumentum hoc tractavit uberrimè *Jansenius* ex Augustino, ita in tertio etiam, qui Gratiam CHRISTI in homine sanando Medicinalem commendat, illud readsumsit, duplicem ex Augustino exponens necessitatem, coactionis unam, alteram simplicem & voluntariam, additâ observatione, non hanc, sed illam repugnare libertati, ostenso hoc ex libertate DEI, beatorum hominum & Angelorum, item ex libertate CHRISTI, subjunctâ provocatione non solum ad propria Scholasticorum principia, sed etiam ad consensum præcipuorum Ecclesiæ Doctorum ante & post Augustini tempora, lib. VII. c. 6. & seqq.

Dionysii, Clementis, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Hilarii, Epiphani, Macarii, Basilii Seleuciensis, Eusebii Cesariensis, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Prosperii, Fulgentii, Bedæ, Damasceni, Anselmi, Bernardi, Hugonis & Richardi de S. Victore, Lombardi, Alexandri Halensis, Guilielmi Parisiensis & Aliffiodorensis, Thomæ Aquinatis, quod iterum ad supplementum vindictiarum Anti Thomisticarum debet referri, *Scoti, Bonaventuræ, Henrici Gandavensis, Richardi Media-villani, Thomæ Argentinensis, Dionysii Carthusiani, Marsilii Inghensis, Nicolai de Orbellis, Stephani Brutiferi, Bielii* denique, quibus accedit etiam solutio eorum, quæ ex scripturis, Patribus & Conciliis pro indifferentia ad utrumque solent adduci, ita ut huic negotio nihil omnino voluerit deesse, quod ad ejus victoriam contra opinionis contrariæ Defensores obtinendam videri poterit necessarium.

Quæ omnia & singula, quorum capita hic indicantur tantum, aliàs totum opus ferè exseribendum esset, sufficiunt ad respondendum iis, quæ Bellarminus contra necessitatem ex Augustino ad suæ opinionis favorem collegit, uti etiam ad vindicandum ea ejusdem Augustini testimonia, quæ Evangelicis eripere conatus est. Ut ut verò hanc causam, non paucis inter ipsos Romanenses adplaudentibus, & Veritatis à tenebris Scholasticorum vindicatæ & fortiter liberatæ gratulantibus, visus fuerit post Lutherum ita confectam dedisse *Jansenius*, ut super amplius non sit, quod in partem contrariam sub aliquâ minimæ etiam probabilitatis specie ulterius proponatur; quia tamen methodus Theologiam tractandi Scholastica ruinæ alicui videbatur exposita, quam deserere hoc rerum statu consultum non videbatur, idè viribus recollectis, ii præsertim, qui ejusdem cum Bellarmino ordinis sunt, negotium hoc readsumserunt, nihilque reliquerunt intentatum, quod ad restituendum Scholæ honorem pertinebat.

Inter eos iterum hinc præ cæteris meretur audiri *Petavius*, quo nullus ferè majori cum adparatu & labore prolixiori ex Augustino hoc tractavit argumentum, omnia, convulsans, quæcunque invenit aliqua ratione ad propositum idonea. Ex eorum numero, quæ notatu digna videntur, id ante omnia non debet prætermitti, quod, sub initium hujus tractationis observavit & inculcavit, de naturali potentia, id est, libero arbitrio, nullum Pelagio negotium fecisse Augustinum, neque hoc illum profiteri jussisse, liberum arbitrium post peccatum primi Parentis jam esse nullum, sed deletum & extinctum; neque damnare eos anathemate, qui dicerent, posse hominem per liberum arbitrium esse sine peccato, aut ad vitam eniti ac Salutem, sed hoc solum fateri voluisse, per solum liberum arbitrium nulla CHRISTI gratia adjutum non posse peccatum vitare, & id ipsum damnare, suis illud viribus & naturæ solâ possibilitate præstare. *Verbo*, non hoc damnare Augustinum in Pelagio, posse hominem per arbitrium liberum sine peccato esse vel rectè vivere posse, sed hoc tantum, posse hoc per solas arbitrii liberi vires, nullâ opem ferente CHRISTI gratia. Hujus rei demonstrandæ causa postquam plura ex Augustino collegit testimonia, hoc porro argumentum quasi insigniter concludens Lectori commendat: *Cum de liberi arbitrii viribus deque possibilitate rectè agendi Pelagius & Augustinus inter se configerent, in eandem rei, de quâ agebatur, notionem significacionem*

tionemque illos oportuit convenire, alioqui nulla nisi inepta & ridicula potuit inter ipsos esse contentio. Arbitrium itaque liberum cum nominabat Pelagius, ut hoc suis esse contentum operibus ac sine CHRISTI gratia per sese rectè aut malè agere posse diceret Augustinus è contrario nisi gratia CHRISTI adjutum nihil boni posse facere pugnaret, prorsus nisi ferrentur cæci in disputando, eandem rem ac significationem ambo ei vocabulo subjecerunt, quod est liberum arbitrium. Hoc si non facerent, ut illum hæreticum falsa dixisse demonstraret, cum diverso, ac ille, sensu verba ejus acciperet. Id in alia parte Controversiæ, quæ inter illos fuit, intueri licet, quæ est de Gratia; utrum videlicet libero arbitrio ad rectè agendum declinandumque peccatum sit *necessaria*, an sine eâ suis illud viribus possit præstare, quærebatur inter ipsos, multumque de eo contendebatur. Pelagius initio Gratiam negabat esse necessariam, post Christianorum offensione commotus cepit necessitatem Gratiæ fateri, sed subdolè & astutè, Gratiam intelligens eam voluntatis facultatem, quæ naturâ est insita, aut legem etiam; non illam, quæ CHRISTI meritis concessa sanat hominem & ad rectè agendum adjuvat. Cum igitur de Gratia disputarent inter se, nihil prius faciendum putavit Augustinus, quàm ut ipsa vox gratiæ, ejusque notio & significatio constaret, ne in ambiguo & incipiti vocabulo ridiculè ac sine fructu tumultuarentur.

Quare in libro de *Natura & Gratia*, & in eo, qui est de *Gratia CHRISTI*, & in omnibus ferè, quos contra hanc hæresin edidit, perpetuò discrimen illud Gratiæ & ambiguitatem nominis, ac fallacias Pelagianorum commemorat. Altera porò Quæstionis pars in eo fuit sita, quod Pelagius liberum hominis arbitrium in Adamo, postquam lapsus est, & in ejus posteris sanum ac valens fuisse & esse semper adsereret, nec aliis quàm naturæ præsidis ad agendum opus habere. Liberi autem arbitrii vocabulo intelligebat facultatem naturâ inditam homini, quæ ad utrumvis indifferentem habet propensionem, & non modò (non) cogi, sed ne simplici quidem *necessitate* aliquâ potest constringi. Cum igitur sic definirent liberum arbitrium Pelagius & Julianus, & hoc ipsum nullo vitium peccato, sed integrum, & quale ab initio naturæ est insitum, manere dicerent in nobis; cur illorum verba referens ac refellens Augustinus de ipsa liberi arbitrii naturâ & notione nihil istis negotii facit, cur non falsam, Aristotelem, Christianæque contrariam naturam & rationem libertatis everit? Etenim si liberum arbitrium aliud quiddam esse putavit Augustinus, quam quod illi dicebant, videlicet, naturalem animæ potentiam, quæ *necessitatis* ad unum determinantis inimica & indifferens sit ex se, ut hoc vel illud agat; si in amplissimâ quâdam immensitate omnium mediocriorum respectu, hoc est, universâ à DEO conditæ creaturæ, & ab omni illa libertate inalligatissima positam illius naturam existimavit, ut nova sciscit Theologia, vel in adhesionem ad ultimum finem, ac cæteris id genus; cur, quod in Gratia fecerat, ut illudentem ambiguitate nominis hæreticum, quid eo sibi vellet, prius exponere juberet, non idem & in libero fecit arbitrio, sed hoc ad bonum & malum suapte naturâ potens & indifferens adferentem restitit eatenus, ut ad bonum non nisi Gratia CHRISTI adjutum ferri posse contenderet, de natura ipsius & indifferentia nihil exposulavit? Quis ad eò hebetem & aliud nihil agentem in Quæstione tantâ fuisse tam acrem & acutè videntem adversarium existimet, ut hoc vel non discerneret, vel dissimularet, in quo causæ summa propemodum continebatur? Etenim in hoc ipso tota consistebat Quæstio, utrum homo vi naturale & facultate liberi arbitrii, quæ genus quoddam est Gratiæ, omne peccatum vitare, ac benè honesteque viveret, & ad salutem pervenire posset?

Adfirmabat, hoc Pelagius, eo præsertim fretus argumento, quod liberi arbitrii natura sit ejusmodi, ut bonum aut malum spontè ac citra *necessitatem* possit eligere, agere, item vel non agere: eaq; potestas, vel, ut agebat ipse possibilitas, cum naturâ sit insita, nullo

nullo possit auferri peccato, ac non nisi essentia hominis erepta. Augustinus è contrario & inesse fatebatur homini liberum arbitrium, quatenus facultas naturalis est, & idem tamen peccato *debilitatum ac veluti sauciatum* esse dixit, ut propterea Christi Gratia Medicinali curandum sit adjuvandumque, *sine qua malum eligere quidem potest, non verò bonum.* Obsecro, quisquis hæc apud Augustinum roties explicata ac tam fusè disputata legit, si paululum communem sensum & humanum vel habeat, vel consulat iudicium, num tandem poterit negare, quin eadem notione ac significatione adpellationem liberi arbitrii acceperit, atque is, quorum de eo disputabat? Non fert usus hominum; ut de re quæpiam, an sit, contendat invicem, nisi prius inter ambas partes conveniat, quæ sit nomini subiecta potestas. Si liberi arbitrii naturam, essentiam ac definitionem aliter, ac Pelagius Pelagianique faciebant, Augustinus institueret, nonne illo obiectante, liberum arbitrium, cum naturæ sit inditum, admissio etiam peccato perseverare; quid esset illud, & quatenus essentia ejus maneret, explicare eum oportuit, non simpliciter admittere, quod Pelagius contendebat? Multum enim conturbasset hominem, ac totam illius vim ac impetum fregisset, si istud ipsum arbitrium liberum nequaquam hoc naturam suam potestatem dixerit, ut indifferens sit, & ad utrumvis habeat liberam potestatem, sed unum idemque esse cum voluntate, ut quidquid etiam necessario & ad unum determinari volumus, non nisi liberè & ex arbitrio libero velimus; ac denique solum id, quod violentum est & coactum, id est, quod in rerum esse naturam non potest, liberum arbitrium evertere.

Hoc si Augustinus adtulisset contra Pelagium, tam Catholicam ab ejus oppugnatione Fidem, quam seipsum ab omni negotio ac molestia liberasset. Credo enim, magnopere laborandum fuit, ut voluntatem post peccatum in homine constaret esse; aut ut eam cum adiutorio CHRISTI & Gratia conciliaret, cum sine dissentendi potestate voluntatem consentire, nec aliter posse facere monstraret. Quid igitur evidentius, quam Augustinum liberi arbitrii naturam & essentiam non aliter statuisse, quam quæ à Pelagio & similibus hæreticis adserbatur, nec diversam post Adami lapsum, ac ante eum in genere humano potuisse Pelagianos porro itidem, ut Aristotelem, ut cæteros gentiles philosophos de liberi arbitrii naturam, definitionem ac notione judicasse? Puderet hæc toties repetere, nisi adversariorum importunitas partim, partim inscitia nos egeret, qui *Aristotelem, philosophicam, gentilem, Pelagianam*, nihil minus denique quam Christianam & Catholicam clamant esse liberi arbitrii definitionem, quam ante ipsos unam omne genus humanum adscivit. Nimirum liquet, Augustinum eo sensu liberum arbitrium, id est, naturalem humane voluntatis facultatem intellexisse, quo Pelagius, Julianus ac Philosophi gentiles, ut sit potestas arbitrii & voluntatis ad utrumque indifferens Sess. 6.
Can. 6. ter habens, & quod ex Synodo Tridentina libenter usurpamus, sic adsentiens rei cuicumque, etiam DEO excitanti atque vocanti, ut possit dissentire, si velit.

Idem Augustinus tamen liberum arbitrium post Adami peccatum credidit non posse sine CHRISTO excitante & adjuvante Gratia boni quidquam velle vel facere, de quo sanè nemo Catholicus ambigit. Hoc igitur ab hac nostrâ concertatione remoto, de ipsâ naturali potentia ejusque naturam totâ est contentio, quatenus de eâ senserit Augustinus. Sed illa ipsa, si non aut imperitos, aut nimis pervicaces adversarios habemus, sublata jam omnis debet esse, postquam est intellectum, neque ab illius nominis significatione vulgari, & qualem liberi arbitrii laudatores immodici adstruebant, summum discrepasse Virum, nec de nuperâ libertatis interpretatione & calumnia, cum de naturali ejus ageret statu, cogitasse. Itaque quoties liberum arbitrium post Adami peccatum manere adhuc in homine dicit, quod sæpissimè dicit, non aliud intelligit, quam inesse illi potentiam sic à naturam comparatam, ut necessariis ad agendum omnibus instructa velle possit aut non velle, *ad sentire vel*

dissentire, bonum hoc vel illud persequi, in statu etiam præsentis vitæ malum vel bonum amplecti; huc enim spectare tum leges ac Mandata, nec non consilia divinitus edita homini, tum cohortationes, pollicitationes, comminationes, pœnarum præmiorumque denuntiationes, quibus sacri libri sint referti, siquidem vana, jocularia & insulsa sint omnia ista, si non sit liberum in homine arbitrium, hoc est, auscultandi & non auscultandi facultas integra, nulla necessitate constricta. Etenim, nemo Catholicus diffitetur, liberum arbitrium originali peccato esse *vulneratum, sauciatum, debilitatum atque viciatum*, uti loquitur de Nat. & Grat. c. 19. Augustinus; aded, ut per se ac sine Christi adjutorio & Gratia medicinali nihil boni queat efficere, saltem quod ad æternam Felicitatem quoquo modo pertineat; qui enim aliter sentire licet, maximè, postquam ita Synodus Tridentina statuit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione aut ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut penitere posse, sicut oportet, ut in Gratia iustificationis conferatur, anathema sit?* Quod & Arausicanum Concilium tantò ante multis Canonibus decreverat. De hoc igitur nulla inter nos potest esse Quæstio. Sed hanc ipsam qualemcumque liberi arbitrii facultatem Christi gratia adjutam profitemur utriusque liberam habere potestatem, hoc est, ex se suaque vi & naturali modo agendi ope divina sublevato sic adsentiri Gratia, ut dissentire possit, aded, ut nulla eam non modò coactio, sed necessitas etiam, ad unum potius eligendum, quam ad alterum adstringat. Huc igitur omnis recidit ac revocatur Quæstio, utrum sic Christi Gratia sanetur adjuveturque liberum arbitrium, ut ex sese viribusque suis aliquid conferat ad salutem, quando eadem Christi Gratia excitatur ac sublevatur, non ut patiatur tantum, ac mere se habeat passivè, sed ut agat & naverit aliquid eo genere actiones & operæ, quod naturale & insitum est libero arbitrio.

Hæc hætenus ad indicandum & explicandum à sententia *Iansenii* dissentium *Petavius*, multò pluribus ex Augustino hic & ibi insertis, quæ necessitati debuerunt omitti, ne iterum plures exscribantur pagina, non sine aliquo & descriptoris & lectoris fastidio. Nunc porò prolixissimè & plura Augustini pro demonstranda liberi arbitrii post lapsum indifferentia ad bonum æquè & malum testimonia colligit, & simul ea etiam vindicare studet, quæ contra eandem inservire putantur; nobis utrobique de iis tantum ex æquo sollicitis, quæ Bellarmini addidit diligentia, vel quorum illustrationi, aut potius obscuratori aliquid novi post eum adtulisse videtur. Igitur, inquit, qui ex Augustini sententia liberum arbitrium tale colligunt fuisse, ut indifferens ad unum vel alterum eligendum agendumve aut non agendum fuerit, non ex aliis illius verbis, aliave formula loquendi concludunt, quàm istà, dum scribit in opere de Correctione & Gratia: *Deus hominem fecit cum arbitrio libero, & quamvis futuri casus sui ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri in potestate sua esse sciebat; in quo statu recto ac sine vitio si per ipsum liberum arbitrium voluisset manere, profectò, sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam merito hujusmodi permanentis (A) Beatitudinis plenitudinem, quàm & sancti Angeli sunt beati, id est, ut cadere non possent ulterius, & hoc sciret certissimè.*

Sic igitur fuisse in primo Parente liberum arbitrium ostendit Augustinus, quod in potestate sua, id est, voluntatis arbitrio habuerit utrumvis, ut acceptam ab origine Gratiam ac Justitiæ statum vel retinere & in eo perseverare posset, vel relinquere & ab eo desciscere. Addit huic parallelum ex opere de Civitate DEI testimonium: *Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare. Hoc autem novissimum (loquitur de statu futuræ Beatitudinis) eò potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque DEI munere non sua natura possibilitate.* Subjungit *Petavius* post aliqua *Verum* nihil hoc adinet probare pluribus, in quo consentientes habemus adversarios, qui ultrò confitentur, eo ipso liberum arbitrium in Adamo fuisse ab Augustino ac reliquis Patribus significari, quod agere vel non agere, hoc vel illud eligere, peccare aut rectè vivere poterit, quam

quamvis ne hoc quidem sine Gratia. Quamobrem cum in hominibus post lapsum Adami liberum arbitrium, quatenus est infinita humanæ naturæ facultas, inesse doceant iidem illi Patres, ac tum liberi arbitrii vocabulum illis adtribuant, tum iidem protus verbis, quibus, cum de Adamo loquebantur, vim illius nominis ac notionem & proprietatem significant, perspicuum est, liberum ab illis arbitrium tale in nobis constitui, quale fuit in Adamo, citra Innocentiæ ac sanitatis prærogativam, quam originalis noxa vitavit, adeoque non aliam illius esse formam, quam quæ eodem & vocabulo & vocabuli significatione continetur. Quocirca cum liberum arbitrium sit facultas voluntatis, vel actio, quæ ex duobus unum eligit, cum possit alterum, ac neutri necessario est adfixa, quoad res vocabula significata manet, ipsum jure usurpatur vocabulum, re autem extinctâ adpellatio est supervacanea. Itaque cum Augustinus in posteritate Adami non voluntatem solum, sed voluntatem liberam, liberumque inesse dicat arbitrium, rem unâ nominis esse, si sapiamus, æstimare debemus. De quare liberi arbitrii vocabulo significatâ sunt innumera illius testimonia, quæ eadem formulâ & conceptione verborum homines post culpam primi Parentis liberum retinere docent arbitrium, quod in Adamo adhuc sano & integro fuisse paulò ante adfirmantem audivimus.

Provocat inter alia ad librum de *Gratia & libero Arbitrio*, quo in libro, inquit *Petavius*, cum de utroque disputet ex instituto, nullus hæsitandi locus est, quin amoborum propriam rationem notionemque fuerit persecutus, ac tam Gratiæ nomini id, quod ista vox præcisè significat, quam liberi arbitrii subjecerit voci id, in quo illius natura consistit. Licet hoc agnoscere, si quis occasionem scribendi exordiumque illius libri animadvertat, in quo cur de eo argumento disputare sit adgressus, ita præfatur: *Quoniam sunt, qui sic DEI Gratiam defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando Gratia defenditur, existiment negari liberum arbitrium, hinc aliquid scribere, &c.* Quemadmodum ergò Gratiam, cum non negari à se demonstrat, non aliam intelligit Gratiam exprimitive, nisi ejusmodi, quam Pelagiani non esse dicebant necessariam, hoc est, eam, quæ Christi meritis parva, Medicinalis, & ad sanandum ac juvandum liberum arbitrium dicitur infusa; ita prorsus, cum esse in homine liberum voluntatis arbitrium, nec se id inficiari probat, eo sensu liberum sumit arbitrium, quo negari à se Pelagianos sibi ait objicere.

Hoc autem est illud idem, de quo nobis controversiam novi faciunt Theologi, & quod iidem planè verbis explicatur ab Augustino ac declaratur, quibus cum in primo Parente docebat fuisse. Pluribus aliis nunc breviter causa, & ne excerptio in nimium excreseat, prætermittis, imprimis provocat ad decretorium uti nominat, ex opere de Spiritu & litera testimonium, utpotè quod fontem esse dicit, è quo post scripturas Canonicas Tridentinum Concilium & sentiendi de libero arbitrio formam & loquendi regulam acceperit, ex eo insuper libro desumptum, quem *Hieronymus* in calce tertii contra Pelagianos libri commendaverit. Hujus capite, scribit, post trigésimum primo Questionem instituit, quæ Controversiæ summam continet, eamque aliquot deinde capitibus disputat. *Quærit igitur, utrum fides ipsa, in qua salus est exordium, in nostra potestate sit constituta?* Quam ut dissolvat, prius explicat, *quid sit potestas, & quid sit habere in potestate?* Hanc ergò dicit esse potestatem, *ubi voluntati adjacet facultas faciendi.* Undè hoc quisque in potestate dicitur habere, quod si vult facit, si non vult, non facit. Addit pro explicatione *Petavius*, Hæc verba primum, si stupor mentis & calumnia defuit, hoc omnino significant, id esse in potestate & libero arbitrio, quod ita potest eligi, ut omitti possit, ita ut eodem tempore ad utrumvis inclinari queat spontè, nec alterutri necessario sit adstrictum. Nam si, ut novi cavillantur Theologi, disjunctæ de separatae partes ambæ oppositionis sunt accipiendæ, ut in liberè fieri dicatur, quod etsi necessario fit, spontè tamen fit, quamdiu fit, ac postea si fieri desinat, idemque necessario spontè fieri desinat; sequitur, amentes ac furiosos libero uti ad agendum arbitrio, & in potestate habere, quod agunt, quamvis aliter agere nequeant, eo, quod maxime volentes id faciant, quod ut nemo nisi amens dixerit, ita nemini nisi sui simili persuadeat.

Post

Post plura ex eodem opere in hanc rem citata ad aliud pergit, nimirum ad illud, quod scripsit de *Peccatorum Meritis & remissione*, ex quo Augustinum contra Pelagianos, qui ex eo, quod peccatum vitare vel facere in liberi arbitrii potestate sit, hominem sine peccato esse jactarunt, sic disputantem introducit:

III. c. 6.

Qui dicunt, esse posse hominem in hac vita sine peccato, non est eis continuo incantata temeritate obstitendum. Si enim esse posse negaverimus, & libero hominis arbitrio, qui hoc volendo adpetit & DEI virtuti vel Misericordie, qui hoc efficit adjuvando, derogabimus. Sed alia est Questio, utrum possit; alia, utrum sit; alia, si non est, cum possit esse, cur non sit; alia, utrum, qui omnino nullum unquam habuerit peccatum, non solum quisquam sit, verum etiam potuerit aliquando esse, vel possit? Subjungit hoc ejus responsum: In hac quadripartita propositione Questionum si à me queratur, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor, posse per DEI Gratiam & liberum ejus arbitrium. At secundæ Questioni, utrum sit, responderi non esse. Subsumit Petavius, Ex quo indifferens & media liberi arbitrii potestas ostenditur. Nam & cum sine peccato non est homo, id est, cum reipsa peccat, habet in potestate, ut non peccet, quia potest esse sine peccato, si velit, & cum peccat, peccare potest. Ad utrumque igitur potestas illius inclinare potest. Rursum de tertia Questione, cur, cum homo possit esse sine peccato, non sit, ita differit Augustinus: Cum voluntate humanâ, divinâ adjuvante Gratia, sine peccato in hac vita esse possit homo, cur non sit, possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt. Ergò, subsumit iterum Petavius, & nolunt, quod possunt, & cum nolunt, possunt velle; quod quid aliud est, quam indifferenti in statu posita alterutrius eligendi potestas?

cap. 23.

Aliud succedit ex opere de *Naturâ & Gratia*, ubi sic Augustinus scripsit: *Nemo dicit, sic factum hominem, ut de Iustitia quidem posset ire in peccatum, & de peccato ad Iustitiam redire non posset. Sed ut iret in peccatum, liberum ei sufficit arbitrium, quo se ipsum vitavit; ut autem redeat ad Iustitiam, opus habet Medico, quoniam sanus non est, opus habet vivificatore, quia mortuus est. Addit pro more Petavius, Hic locus verum & catholicum dogma paucis complectitur, quod ex Canone Tridentino contra hæreticos novosque Theologos studemus propugnare; nam posse hominem, cum peccato tenetur, ad Iustitiam Reberti, adjuvante Dei gratia, demonstrat. Sequitur adhuc aliud ex Tractatu in Psalmum ordine & numero primum vel juxta Ebræos secundum post quinquagesimum, ubi Augustinum graphicè dicit describere Petavius potestatem illam arbitrii liberi ad utrumque quasi positam in æquilibrio, hæc Davidis verba, ad Dægum prolata, *Dilexisti malitiam super benignitatem, &c.* enarrantem & ita loquentem: *Ante te erat Benignitas, illam diligeres, &c. Benignitas ante te, Iniquitas ante te; compara & elige.* Vides, subjungit Petavius, deliberationem & consultationem, & ex ea sequentem electionem & arbitrium. Et ut intelligeres, utriusque penes ipsum & notitiam & eligendi fuisse potestatem, perrexit statim: *Sed forte habes oculum, quo videas malignitatem; & non habes oculum, quo videas Benignitatem. Va cordi iniquo! Quod peius est, avertit se, me videat, quod videre potest. Quid enim de talibus alio dictum est loco? Noluit intelligere, ut ageret bene. Non enim dictum est, non potuit, sed noluit, &c.* Alia addit plura, cum notis & glossis suis Petavius, quibus Augustinum ad partes trahere nititur omni modo, subjunctis insuper aliis pluribus locis ex diversis Augustini operibus desumptis, quæ tamen, quia idem fere cum antecedentibus habent, nunc quidem merito omittuntur; cum ea adhuc restent expedienda, quæ necessitatem cum libertate arbitrii ex ejusdem Augustini sententia videntur conjungere, quibus tamen & Bellarminus jam satis laboravit facere, & cum ejus responsones Iansenius examinaverit, nullitatisque convicerit, Petavius tamen ea resumere conatus est, ut ne quid novæ, quam vocat, Theologiæ videatur concessisse, sed omnia ex Augustini autoritate ad pristinum revocasse statum.*

Psal. 36.

Ita autem in hoc negotio procedit: Illa sententiarum ac verborum confictio saltem specietenus sese collidentium evigilare nos admonet & agnoscere, non eodem modo liberi arbitrii nomen ab Illo usurpari, sed alio atque alio sensu; quod disci-

discrimen ad hanc brevem formulam redigitur. Libertas enim, à qua liberum dicitur arbitrium, aliàs naturalem voluntatis facultatem significat, potestatem ad utrumvis eligendum è duobus habentem, quam Græci *ἡγεμονίαν* vocant; nonnunquam verò statum quendam illius facultatis solutum & expeditum ab impedimentis, quæ illius functionem honestam & laudabilem interpellant, & invitum plerumque hominem ad id, quod suave est, à decore rectoque deflectunt. Quod cum sit, tum est quædam servitus & captivitas, qua aut sponte illigata detinetur hominis voluntas, ut in vitiois vel infidelitate aut alio quodam morbo depravatis accidit; vel renitens & quodammodo coacta, ut cum illucescere jam Sol Justitiæ cœperit, & odore quodam Spiritus S. adflatus ad spem salutis ac libertatis erigere. ita liberum arbitrium vel voluntas libera dicitur dupliciter, aut quia huc vel illuc flecti potest, quæ naturalis illius vis est atque potestas; aut quia salutis peccati & corruptelæ nexibus, quibus servilem in modum obligabatur, potestate sua utitur ad id eligendum ac faciendum, quod bonum Deoque gratum est, quod ante ne minima quidem ex parte poterat præstare atque hoc ipsum excitanti & adjuvanti Gratiæ Christi debet, cujus ope corroboratum liberum hominis arbitrium, id est, facultas ipsa naturalis, motum inquam & excitatum ita cooperatur adfertiendo excitanti atque vocanti Deo, ut possit dissentire, si velit. Utriusque illius libertatis innumera sunt apud Augustinum testimonia, ac omnes penè libri, quibus Pelagianam oppugnavit hæresin, in hoc uno argumento commorantur. *Multis iterum interpositis scribit:* Nulla inter Augustinum & Pelagium de naturali potestate voluntatis versata est Quæstio, quam quidem post peccatum manere constabat; sed de integritate virium ad agendum, quod Pelagius sanas & valentes eas esse dicebat, nisi quod pravâ & voluntaria peccandi consuetudine naturam corrumpi infirmioremq; reddi putabat, ita tamen, ut in potestate hominis esset, iisdem quibus natura pollet, viribus emendare seipsum & in viam reverti. Hinc Augustinus, quando contra hæreticos illos Christi Gratiâ propugnat, sæpius liberum in homine arbitrium mansisse negat, qualitatem intelligens & conditionem, non potentiam & facultatem; etenim liberum usurpat de eo, quod non est captivum, neque mancipii instar addictum, & peccati concupiscentiæque nexibus irretitum, quibus cum extricare & exolvere se, nisi CHRISTI ejusque Gratiæ beneficio, homo non possit, meritò liberi arbitrii eo sensu non esse dicitur.

Et ubi hæc ad nauseam usque sæpius iterando inculcavit, ad ea tandem devenit Augustini testimonia, quæ indifferentiam liberi arbitrii ad utrumque videntur impugnare, & in quibus vel periisse dicitur liberum arbitrium, vel necessitate quadam homines constrictos esse significatur, ut peccent; quæ de posteriori libertate, cui servitus opponitur & captivitas, interpretanda esse monet, addens, Hæc necessitas non absoluta est intelligenda, tanquam continere se nequeant, vel abstinere à peccato, si velint, aut non velle peccare nequeant omnino. Quisquis enim ita se habet, ut actioni suæ ac voluntati nequeat moderari, quia non tam agit, quam agitur, & imperu quodam rapitur ad unum aliquod persequendum is, si aliter facere nequit, minimè peccat, ut in amentibus & parvulis adparet, quorum vehementes sunt voluntatis motiones pulsionesque ad id, quod expetunt, nec tamen ideò peccant, quod regere se ac retinere non possunt. At quicumque cæteroqui compos rationis dominante tamen libidine ac concupiscentia premitur, vel peccandi dulcedine ac consuetudine sic irretitus est ut penè in naturam adfectus ille transierit, trahitur is quidem vi ac necessitate quadam ut interdum invitus ac renitens cogatur facere, quod nollet, cujusmodi ab Apostolo describitur status & conflictus animi cum cupiditate luctantis capite septimo Epistolæ ad Romanos.

Pergit post hæc ad ipsam locorum Augustini expositionem, ex quibus concluditur, usque adeò cum voluntatis libertate non pugnare necessitatem, ut peccatum fiat etiam ab iis interdum, qui hoc necessario faciunt, nec aliter possunt. Ut cum Augustinus Juliano peccati definitionem opponenti, quam in libris ipse suis ediderat, *ut sit voluntas retinendi & admittendi, quod Iustitia vetat, & unde liberum est abstinere;* Respondet, *istam definitionem peccati ejus esse, quod peccatum est tantummodo, non quod etiam pœna peccati, quia perit libertas non peccan-*

h. I. con-
tra Jul.
c. 2. op.
imperf.

peccandi. Tum paucis interjectis ait, *Multum erras, qui vel nullam peccandi necessitatem putas esse, vel eam non intelligis esse illius peccati pœnam, quod nulla necessitate commissum est.* Quibus ex verbis, subdit *Petavius*, illa colligitur opinio Augustini, Adamum quidem in priore statu Innocentiae sic in potestate suam habuisse voluntatem, ut eam flecteret, quò libitum esset, atque idem nulla peccandi necessitate constrictum solâ voluntate id admisisse, à quo liberum erat abstinere; illius verò posteros prioris istius delicti talem tulisse pœnam, ut necessitate peccarent. Sic in libro de *Perfectione Iustitiae* contra Coelestinum, cum haereticus iste sic interrogasset, *Per quid efficitur homo cum peccato; per naturæ necessitatem, an per arbitrii libertatem?* Respondet, *per arbitrii libertatem est factum, ut homo esset cum peccato; sed jam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.* Ex his & similibus locis, addit iterum, *Petavius*, imperitè probant haeretici, perisse per peccatum, quod in Adamo erat, liberum Voluntatis arbitrium, quia potestas illa boni vel mali eligendi est erepta, solaque relicta est amplectendi mali. Alii non ipsum quidem liberum arbitrium audent dicere extinctum, ne pro Catholicis desinant haberi; sed liberi arbitrii vim & essentiam explicant aliter, ut cum absolutâ necessitate alterius adiciendi facultas illa cohæreat, nec ad ipsum indifferens ad utrumque status pertineat.

Rat. 9.

Iterum aliquibus interfertis ad Augustini sententiam ac Mentem explicandam *tria* adprime utilia notari vult *Petavius*, è quorum numero *primum* hoc est: Cum de natura loquitur Augustinus, liberovè hominis arbitrio, peccato vitari ac debilitatis, & ex altera parte Gratiam iis opponit, de utroque loquitur secundum ea, quæ cuiusque sunt propria, hoc est, quæ singulis ex sese conveniant, & ut uterque altero seposito spectantur. *Secundum* est, Non dissimili ratione, cum de naturâ peccato corrupta agit Augustinus, eamque cum Christi gratia contendit, sumit id, quod unicuique per se ac seorsim convenit, non quod re & effectû ipso ex mutuo amborum consensu ac copulatione geritur. *Tertium ac postremum*, quod *Petavius* notari vult, est, Necessitatem usurpari modis duobus, quod præcens adinet negotium, *uno*, ut id necesse sit, quod absolute fit, nec aliter potest fieri, ut homini necesse est mori; nam velit, nolit, moriendum est illi, nec in ejus est arbitrio ac potestate, mortem evadere. *Altero*, cum id necesse dicitur, quod absolute quidem potest non fieri, quia in voluntate facientis est situm, sed ex certis rerum, temporum ac personarum circumstantiis difficile est non fieri, imò fit semper. Ex his tribus veluti regulis poterunt explicari, & ad verum ac Catholicum redigi sensum, quæ ab Augustino dicta parum sincere à Calvino & ejus imitatoribus accipiuntur, ut ex iis colligant, partim ea voluntati hominum imputari peccata, quæ sunt necessariò vitarique nequeunt, ut sunt concupiscentiæ motus minime voluntarii; partim liberè ab iisdem committi, quantumvis necessariò perpetrentur, quoniam libertati necessitatem absolutam adversari non putant. His etiam prolixissimè iterum & multo cum verborum adparatu expositis, ea præsertim Augustini loca uberius tractanda suscepit, quæ Bellarminus partim ad suæ thesæos probationem ex opere *contra Faustum* & de *libero arbitrio* primam posuit in aciem, partim ad quæ tanquam sibi contraria ex libris de *Civitate DEI*, ut & de *Natura & Gratia* ab adversariis objecta respondere conatus est, additis insuper non paucis, quæ ad libertatem Dei & Sanctorum in æternæ Beatitudinis statu ex mente Augustini intelligendam videbantur inservire, à quibus tamen nunc est abstinendum, cum fatear ingenuè, & me describendo lassum esse, & fere cogar mutare, ne lectori etiam aliquod fastidium obrepat exindè, utut excerpta hæc pauca sint respectu eorum, quæ per plusquam paginas majores *septuagenas* de solâ Augustini sententia quoad liberi hominis arbitrii à necessitate liberationem sunt scripta stylo nimirum diffluente & justo liberiore, quam ad Controversias videtur esse necessarium, Authore, uti videtur, de eo non parum sollicito, ut, quod decederet argumentorum, quibus contra Antagonistam non vulgarem erat pugnandum, robori & firmitati, accederet per sermonis Rhetorici amplificationem, stratagemate Oratoribus, quam Disputatoribus usitatori.

Certè si ad penetralia hujus prolixissimi, & ob nimiam prolixitatem, quæ
itera

iteratæ sapius repetitioni non parùm debet, tædiofiffimi discursus perveniatur, non adeò difficulter patebit, verba ut plurimum dari ad Controversiæ statum quam-maximè impertinentia, ea etiam hic & ibi exhibentia, quæ sibi non videntur modò, sed reverà sunt contraria, imò contradictoria, Augustinum sibi semper hoc in negotio constantem hinc inde præter mentem trahentia & violenter distrahentia, & quod nobis esse debet potissimum, inter tenebras, quibus Veritas tegitur, aliquos ejusdem radios emittentia, ad exemplum, non omninò eam posse opprimi.

Ut autem hoc lectori nunc examine brevi ponatur ob oculos, & ne scriptori hodiè inter suos celeberrimo aliqua inferri videatur injuria, præsertim, quia in antecedentibus Augustinum non semel nobis liberaliter concessit & contra aliorum sententiam vindicando adscripsit, ideò prænotandum est, quod *Hülsemannus* quoque noster contra *Hagerum* Lojolitana observavit, non minimam Papiſtarum factionem negare, Concilii, ad quod *Petavius* provocavit, Tridentini verbis adfertam esse voluntatis humanæ indifferentiam ad utrumque extremorum seu libertatem seipsam determinandi, posita etiam DEI gratia, quæ possit velle seu eligere bonum; *nedum* ut antequàm ponatur hæc Gratia, indifferentiam seu libertatem arbitrii concedant à Concilio fuisse intellectam, citatâ Disputatione *Suarezii* adversus *Banneſium*, *Camelium*, *Medinam*, *Marſlium* & alios, qui hanc dicant esse Concilii Sententiam, quod arbitrium hominis, motum per DEI gratiam, libertatem habeat quidem dissentendi in sensu diviso, id est, quando abſtrahatur à gratia DEI, sed positâ hac, non inesse porrò libertatem dissentendi in homine, sed consensum esse illum effectum, qui necessariò à DEI gratia producit, & sententiam contrariam, quæ positâ DEI gratia indifferentiam arbitrio tribuit, *Banneſium* vocare Pelagianam, & citante *Tannero* eandem esse *Esthii* & *Sylvii*, Professorum Duacensium, *Alvarii* etiam, *Rami*, *Ledesmae*, *Rispolis*, *Benii*, & recentiorum Thomistarum communem sententiam, videlicet, Concilium, quando de arbitrii libertate loquitur, *loqui in sensu non composito, sed diviso*, ut id est explicatum.

In Aug.
Conf.
Disp. 16.

Præter hoc, ut constat, quam Evangelici diametraliter à Calvinianorum sententia in hac Quæſtione distantes agnoscant necessitatem cum libero ita dicto voluntatis arbitrio post lapsum ante Conversionis gratiam, ne in dubio & ancipiù agamur, placet ejusdem *Hülsemanni* verbis totum hoc negotium exprimere, nomine publico ad Augustinæ Confessionis sensum ritè exprimendum scribentis, *Concedimus & nos* homini non renato libertatem à necessitate specificandi hoc vel illud peccatum, v. c. *homicidium*, *adulterium*, *furtum*. Hoc videlicet peccatum in voluntate hominis non renati necessariò specificati, quando eligitur, *negamus*. Sed libertatem à necessitate plane non peccandi *negamus*, ideò, quod non renatus Fide salvificâ carens nihil possit DEO placens, adeoque nihil non peccaminosum committere. *Amplius etiam dicimus*, Necessitatem in irrege-nitis aliquid peccaminosum committendi *non absolutam* esse aut dependentem ex subordinatione causæ secundæ ad primam, sed esse contractam & *voluntariam*, quomodo qui ex frequenti inebriatione aut scortatione sitim necessariò sentiunt & ustiones.

Ita enim hanc irregularitatis *necessitatem* per primum peccatum in Protoplastis nostris contraximus, atque in enormitate illâ & matulâ nobis complacemus, ut in eventum nihil, DEO gratum, sed omne displicens committamus. Vellet autem ei subiecto, quod actu non nisi *ἀνομιαν* committit, & propter contractam indispositionem hic & nunc non potest nisi *ἀνομίαν* se gerere, nihilo minus libertatem potentia proximâ omittendi id, quod peccaminosum est, tribuere, *insania est simillimum*, quod ex jure talionis debetur objectioni amentia, quam *Iansenio* & sequacibus paulò ante adscriptam voluit *Petavius*; talis enim libertas, quod notanter addit *Hülsemannus*, quæ eventum rei malæ in genere posset in statu peccati intervertere, aut per Verbum scriptum, aut per exemplorum inductionem veniret demonstranda. At ex utroque medio constat contrarium. Quod

si ergo libertas illa ex nullius unquam irrogeniti factò adparuit, quo medio inesse probabitur tali subjecto?

Addit his, *negamus*, quando Deus homini vires bene agendi contulit, quod libertas bene agendi ex naturâ hominis superaddatur his viribus; *sed dicimus*, voluntatem effici in homine ab eodem principio, à quo vires producuntur, id est, quod homo & vires & libertatem ad bene operandum habeat ex Dei regenerantis gratia, non alterum ex generantis, alterum ex regenerantis Gratia, uti Pelagius dicebat, distinguens inter posse, velle & agere, illud Deo, istud & hoc hominis naturæ tribuens. Viros itaque ad bene agendum Pelagius etiam Deo acceptas ferre cogebatur tandem, libertatem verò & æqualem indifferentiam ad extremorum utrumque naturæ adtribuebat corruptæ.

Idem *Hulsmannus*, cui gloria hujus Controversiæ insigniter enucleare debetur, post plura in hanc rem egregiè notata, ad sententiam Papistarum de hac Quæstione revertens, id porro observavit, plerosque Papistarum, qui videlicet absolutum Prædestinationis decretum tuentur cum Calvinistis, neque regentis etiam concedere veram libertatem DEI gratiæ cooperandi, tum quia libertatem comminiscuntur, quæ libertas non est, tum quia libertatem planè tollunt per irresistibilem Gratia impetum, quem facere ajunt Deum in electos, ita ut Gratiam hanc planè non possint declinare aut avertere. De *Bellarmino* addit, Eum diversissimas Papistarum de arbitrii libertate sententias, quibus famosissimos ex ipsismet Scholasticis sufficiat Patronos, referre & refutare, & suam subijcere tandem diversis septem propositionibus expressam, scilicet, *libertatem in eo consistere, quod propositis multis intelligibilibus & adperibilibus voluntas intellectum adplicit, nunquam cogit etiam contra motionem totius suppositi, ad dispiciendum de his subjectis sive omnibus, sive aliquibus, & judicandum, quodnam ex his voluntati sit eligendum, tum quod intellectus judicaverit eligendum, id necessario & inevitabiliter perfici à voluntate: & hanc esse libertatem, quod voluntas intellectum adplicit ad judicandum, & ejus judicium sequitur necessario.* Subjungit, hanc opinionem uti omnium ineptissimam ita refutari tanquam sine dubio falsam à *Valentia*, *Becano*, *Suarezio*, qui præterea duas alias recenitat atque refutat, ac fuisset tandem verbis libertatem ita definiat, *quod indifferentia sit tam facultatis, quam exercitii, quâ possit homo positus omnibus ad agendum requisitis agere vel non agere*, *Tannero* & *Pelantio* consentientibus, *hac addita observatione duplici*, ex hisce variis libertatis definitionibus absurdas nasci dictorum scripturæ interpretationes, & Concilium Tridentinum decisioni harum opinionum nihil profuisse, cum singuli pro opinione suâ provocent ad illud, & invicem se pro hæreticis & Pelagianis habeant. Sequitur, quod addendum est insuper, apud eundem *Hulsmannum*, Neque libertas corrumpitur solum his opinionibus, sed plerorumque commentis etiam evertitur planè. *Bellarminus* certè & sequaces eam dupliciter evertunt, *primò* per necessitationem & adstrictionem ad parendum ultimo rationis judicio, *deinde* per necessitatem operationis Gratia, quam vocant, congruæ, non solum in sensu composito, id est, quod tunc operetur necessario, quando operatur, sed etiam in sensu diviso, quod ante actionem hujus Gratia natura talis sit, cujus non possit effectus ab homine interverti. Per *primum* everti veram libertatis rationem *Suarezius* probavit, prolixè & rationem nullo modo esse liberam ipse *Bellarminus* adfirmavit disertè. Idem docetur fieri per *alterum*, per quem duo libertatis impedimenta in electis esse ostenduntur *primo* ipsa ejus natura, quam Deus in utero & post inclinât, ut non possit non consentire vocationi; *posterius* ipsa efficax Gratia, quæ non solum propter contemperantiam; proportionem & congruitatem, quam habet cum ingenio electorum, neque solum propter ipsam magnitudinem & vehementiam, quam habet in ratione entis, sed ideo quoque, quia subest scientiæ Dei mediæ, seu, quia placuit Deo eam ad executionem prædestinationis usurpare, infallibiliter hominem determinat ad consentiendum vocationi, uti *Tannerus* exposuit, & defenditur à supra dictis in Belgio communiter ac plerisque etiam Hispanis, contra quos disputat *Suarezius*, tanquam contententes, quod non solum moraliter Voluntas humana à Dei gratia determinetur, sed

sed etiam physicè per subordinationem & dependentiam voluntatis humanæ à divinâ, *Thomam* ipsum & alios Scholasticorum ita exponentes, ut quando ajunt, posse hominem resistere motioni divinæ, sint intelligendi de motione objectivâ seu morali, quæ extrinseca est, ad quam voluntas non habet essentialem subordinationem, qualem habeat ad motionem internam & physicam. Finit hunc discursum *Hülsemannus* verbis sequentibus, undè adparet, ipsos Papistas, aut præcipuos inter illos pernegare libertatem regentorum pariter & irregentorum, quam à Catholico-Evangelicis negari calumniantur.

His jam in genere præmissis, ut partim sententia Evangelicorum lectori sit manifesta, quæ aliàs non semper ritè ab adversariis proponitur, nec etiam à quibusvis intelligitur, partim ut solennes Doctorum in Papatu circa hanc quoque Controversiam contradictiones innotescant uberius, partim ut indè cuiusvis pateat, quid in Quæstione sit, ne cum larvis in vanum suscipiatur conflictio, id super est, ut adhuc ostendatur, quid de *Augustino* habendum, & num is in hoc etiam puncto ad nostras jure debeat referri partes, tanquam Confessor & Testis Evangelicæ Veritatis. Et quamvis ea, quæ ex *Iansenio* per compendium sunt adducta, sufficere posse videantur ad ostendendam demonstrationis Bellarminianæ nullitatem, quia tamen ejus vestigia non prescit, sed contra communem Scholæ doctrinam Augustini partes suscepit defendendas, juvat examine brevissimo docere, Augustinum à Bellarmino impertinenter plerumque, adductum, neque ex debito ab objectionibus partis adversariæ, quod præstare promiserat, vindictum esse. Priorem testimoniorum seriem quod concernit, primum ex eorum numero nemo non ipsa legens verba à Bellarmino citata agnoscit aliorum referri debere. Agit nimirum sanctus Pater ibidem loci non in specie de statu hominis post lapsum ante Conversionis gratiam, sed in genere de statu hominis quocunque, an videlicet homo satis stellarum subjaceat, ejusque animus ab earum vi vel ad bonum; vel ad malum impellatur, quod negat, & rectè quidem, argumento ab arbitrii libertate non impertinenter ducto, impertinentissime autem ad præsentem Controversiam & planè violenter tracto. Quæ enim est ratio consequentiæ, libertas arbitrii in homine non violatur aut cogitur à fato stellarum, ergo nulli planè in nullo etiam statu subjacet necessitati? Malè nimirum ab unius speciei negatione ad omnimodam singularum specierum sublationem argumentâ duci, dudum à Logicis est evictum.

Ad secundum ex opere de libero arbitrio debet notari, quod ipse Doctor augustissimus monuit in *Retractionibus*, propter eos illam disputationem esse susceptam, *Manichæos* nimirum, qui negarunt ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & DEUM, omnium naturarum creatorem, si ita sit, contenderunt esse culpandum, volentes eo modo secundum suæ impietatis errorem introducere immutabilem quandam & DEO coæternam mali naturam. *Addit*, de Gratia verò DEI, quia suos sic prædestinavit electos, ut eorum, qui jam in eis libero utuntur arbitrio, ipse etiam voluntates præparet, nihil in his disputatum est libris propter propositam hanc Quæstionem. Ubi autem locus incidit, ut hujus Gratia fieret commemoratio, transeunter est commemorata, non, quasi indè ageretur, operosâ ratiocinatione defensâ. Aliud enim est quærere, undè fit malum; & aliud est quærere, unde redeatur ad pristinum, vel ad bonum majus perveniatur? Quapropter novi hæretici, Pelagiani (*notate hoc Pelagianorum hæreses bene*) qui liberum sic adserunt voluptatis arbitrium, ut DEI gratia non relinquant locum, quandoquidem eam secundum merita dari adserunt, non extollant se, quasi eorum causam egerim, quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illius disputationis causa poscebat. Et quia hæc pluribus exemplis docuit, satis jam patet, quid Bellarmino ad opus hoc provocanti debeat responderi, & quam nihil omnino subsidii pro arbitrii ab omnimodâ necessitate liberi post lapsum extruptione in eodem reperiatur. Tertium ex opere de *verâ religione* testimonium apertissime agit de statu hominis ante lapsum, adeoque hæc omnino referri non potest. Equidem in antecedentibus proximè verbis dum de peccato scripsit, usque adeo voluntarium illud esse malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit vo-

fit voluntarium; videtur illud ita libero adscribere arbitrio, ut nulla omnino ejus definitione videatur locum habere posse necessitas. Verum quomodo Augustinus explicaverit se ipsum, ex iisdem *Retractionibus* ostensum est supra, ubi circa definitionem peccati Augustinianam fuimus occupati. Quod *quartum* & *quintum* attinet testimonia, in quibus hanc *Questionem* de libero arbitrio & Gratia agnoscit Augustinus *implicitam & obscurissimam*, quod ideo fieri existimat Bellarminus, *quia non à coactione solum, sed etiam à necessitate exigatur libertas*, fallitur & fallit egregie, cui directe opponimus & dicimus ex Augustini sensu, ideo præprimis dici difficilem hanc Controversiam, quia libertati huic necessitas non opponatur sed conjungatur, atque hinc verè dici possit *libertas necessaria & necessitas libera*, quod ea satis superque testantur Augustini testimonia, quæ necessitatem libero hominis arbitrio post lapsum non obscure comitem sistunt indivisibilem, & sine quâ concipi non possit theologicè, quidquid sit de consideratione abstractivâ, prout libertas arbitrii describitur à philosophis, quibus hic status hominis lapsi est secundum causas ex mero lumine naturali incognitissimus.

Exhibent ea seriem testimoniorum Augustini *alteram*, quæ omni modo Bellarminus à necessitate conatus est quidem liberare, sed in vanum & sine fructu. *Primum* ex *Enchiridio ad Laurentium* exhibet discrimen arbitrii liberi in statu primo hominis, qui vulgò dicitur Innocentiæ, & ultimo beatorum, qui Gloriæ est & dicitur, uti ex antecedentibus proximè verbis constat, quæ ita habent: *Sic oportebat prius hominem fieri, ut & bene velle posset & male; postea vero sic erit, ut mala velle non possit, nec ideo tamen libero carebit arbitrio.* Ubi quamvis nullam utriusque status intermedii mentionem faciat Augustinus, videlicet, neque status post lapsum ante conversionem, neque status post Conversionem ante plenariam arbitrii à servitute peccati libertatem vel liberationem; id tamen posterioribus verbis in descriptione status Gloriæ indicat, non contrarium fore libero voluntatis arbitrio, si beati non possint malè velle, comet ipso subintelligens, neque opponendum esse eidem libero voluntatis arbitrio, si homo post lapsum ante Conversionis gratiam non possit benè velle, nimirum, quod hic venit in controversiam, quoad actiones verò bonas, & quæ DEO possint esse gratæ ac in acceptis.

Atque hanc *necessitatem* quasi minime absurdam ipse Bellarminus est largiri coactus, dum Augustini mentem in hoc eodem testimonio ita intellexit, *posse voluntatem remanere liberam, licet in aliqua re vel aliquo libertatis genere non sit libera*; quod insigne est testimonium Veritatis Evangelicæ, ab omnibus is absurditatibus nos liberans, quibus aliàs nimii libertatis in voluntate humana etiam post lapsum admiratores, Pelagium videlicet imitantes, hanc necessitatis cum libertate in irrogenitis connexionem solent facere obnoxiam, & quali paradoxum in Ecclesia intolerandum proscribere. *Secundum* ex opere de *Civitate DEI* testimonium quia ejusdem ferè tenoris est, eadem quoque liberabitur ratione à non verâ, sed putativa tantum Bellarmini oppositione, utpotè quæ vim responsi nobis præbet sufficientem. Nam si per necessitatem non peccandi ex Augustini sententia non tollitur liberum arbitrium beatorum, *sed potius confirmatur*, uti Bellarminus benè mentem Doctoris augustissimi explicat, sequitur ex oppositi ratione, per necessitatem peccandi aut tolli liberum arbitrium in homine post lapsum, aut ad minimum *infirmari*, de quo sequenti agetur Controversia. *Tertium* ex opere de *Natura & Gratia* testimonium habet itidem, quod in rem nostram est, & à Bellarmino non potest nobis eripi. Dum enim sine absurditate & voluntati humanæ necessarium & inevitabile Beatitudinis allicujus desiderium, & voluntati Divinæ necessarius amor Justitiæ adscribitur, nec libertas utriusque læditur; non debet absurdum videri, si ad sensum scripturæ voluntas hominis post lapsum ita dicatur libera, ut necessitate peccandi dicatur constricta, præsertim, cum id quivis, renatorum quoque, ad Apostoli exemplum, in semetipso quotidie, & singulis ferè momentis experietur, atque sic pravio eodem Apostolo ingenuè fateri cogatur, nisi nimio sui amo-

amore cæcus & omnino occæcatus. *Quartum* & ultimum Augustini testimonium, quod itidem ex opere de *Civitate DEI* est desumptum, ad idem ferè redit, dum necessitatem Vitæ DEI & ejusdem præscientiæ commendat, nullo planè modo cum libertate ejus plenatim pugnantem; in cujus explicatione Bellarminus alia Augustini verba subjungens, quibus necessitas in homine dicitur *non absoluta, sed ex hypothesi*, nobis subministrat arma & nostram confirmat sententiam, ut expositione uberiori non sit opus, quod ex ante dictis constat sufficienter.

Et hætenus contra Bellarminum, nunc *Petavius* ad partes vocandus, qui post omnes alios aciem ex Augustini armamentario copiosissimam videri voluit instruxisse, ac univerlas *Iansenii* & quorumvis in hoc Fidei puncto antagonistarum copias in fugam conjecisse aut omnino stravisse. Quo majoris operæ videbitur pretium, hujus Antimachi adparatum tam superciliosè ostentatum penitus lustrare, & quod tanto promisit hiatu, inspicere, ac simul tentare, annon exarmari possit hic Goliathus & thrafo Gallus; si quis unquam, fastuosissimus, inque cujus oculis omnes cæteri sunt sicut volitantes umbræ. Ab initio statim lectori inauditum ab Augustini tempore in Ecclesia postulatum obtrudit, nunquam ex omnibus Augustini scriptis vel editis, vel ineditis demonstrandum, quasi eadem cum Pelagio nullum fuerit negotium de potentia hominis naturali vel libero voluntatis arbitrio, quoad eam videlicet Quæstionem *an homo post lapsum ante Conversionem*, hoc enim semper debet subintelligi, *per solum liberum arbitrium, nulla Christi gratia adjutum, peccatum possit vitare annon?* Contrarium certè parebit è controversia sequenti, ubi liberi post lapsum arbitrii epitheta ex Augustini contra Pelagium scriptis & aliis operibus insigniora lectori veritatis cupido exhibebuntur, uti etiam ex ea Quæstione, quæ manifestum faciet, quid Augustinus de irregentorum operibus juxta speciem externam bonis & laudabilibus contra Pelagium pluribus in locis scripserit ad sensum scripturæ itidem & orthodoxiæ Evangelicæ. Et tamen ita sibi in hoc postulato placuit *Petavius*, ferè scriptissem ob vocalium identitatem Pelagius, ut instar fundamenti illud secururæ tractationi prolixissimæ substraverit, cui summiter posito liceat tuto superædificare, addo autem, sed eo per Augustini auctoritatem diruto cætera maximo cum sudore superstructa cadunt necessitate non liberâ, sed inevitabili. Pari infirmitate laborat, quod huic postulato adnectit immediatè, Pelagium & Augustinum (Huic illum proponit, quia in non paucis eadem magis favet) de liberi arbitrii viribus inter se conflictantes, *in eandem rei notionem debuisse convenire.* De rei debito quod monet, est indubium, pertinetque illud ad regulas logicorum, quas disputatoribus veritatis amorem præ se ferentibus ex ordine solent præscribere. Verum quis nescit, quam nihil vel parùm lex hæc valuerit semper apud disputatores hæreticos, non veritatis, sed errorum, in quos inciderunt, acerrimè defendendorum studio actos & agitados, in id summoperè intentos, ut, quia non licuit alia ratione, ea certè fatigaret Veritatis defensorum patientiam, videlicet, æquivocis verborum lûibus, involuto & non semel mutato Controversiæ statu, sententia etiam non uno semper modo exposita, ut si hac non succederet negotium, alia adgrederentur viâ, atque sic anguillæ instar ubique ob sophisticam lubricitatem è manibus elabi possit ac evadere.

Hoc in artificio, si quis unquam, *Pelagius* potuit plurimum, ac omnibus ferè, tam antequam post se, palmam præripuit, ad minimum fecit dubiam. *Chemnitius* noster, in hac Controversia post *Lutherum* versatissimus, egregiè id observavit, & ex rerum publicè gestarum historia docuit, cujus verba huc quam maximè pertinentia è primo *Locorum Theologicorum* Tomo non possum non adscribere sequentia: *Præcipuè consideranda est integra series illius certaminis, quomodo & quoties Pelagius aliter loqui cæperit, & cum sæpè linguam corrigeret, ipsos tamen sententiæ suæ nervos retinuerit.*

Primùm, plane negavit necessariam esse Dei gratiam, cùm adfirmaret, gestas per Naturæ legem salvatas esse.

Secundo, cùm videret offendi pios, quia scriptura tota celebrat Dei gratiam, cœpit concedere verbis, necessariam esse eam; sed illam interpretabatur tantum hoc Dei beneficium esse, quod in tanta nostræ mentis caligine ipse patefecit in lege quæ facere, credere, sperare debeamus, accepta verò cognitione hominem posse facere, quæ didicit esse facienda.

Tertio, quia Dei gratiam scriptura collocat non tantum in eo, quod in Dei Verbo præscribitur nobis regula credendorum & faciendorum, sed quod DEUS operatur velle &c. dixit Pelagius, potentias animæ, ut facultates mentis, voluntatis, locomotivæ, quia sunt singularia Dei dona; vocari Gratiam, quia sine ulla præcedentibus meritis creati & rationis usu donati sumus.

Quarto, cùm & hæc sententia refutaretur è scriptura, dixit, Gratiam DEI ad hoc tantum valere, ut præterita remittantur peccata, non autem, ut futura vitentur & superentur repugnantia; illam enim facultatem esse naturalem.

Quinto, cùm opponerentur manifesta scripturæ testimonia, dixit, auxiliium Spiritus Sancti ad hoc valere, ut, quæ homines per arbitrium liberum facere jubentur, facilius possint implere per Gratiam, hoc est, talem finxit distinctionem *statuens*, quosdam homines, qui serio conatu vires naturæ exerant, sine adjutorio DEI efficere obedientiam Deo placentem posse, propter alios verò, qui remissiores sunt & negligentiores, promissum esse Spiritus Sancti auxilium.

Postremo tandem, adeo callide cœpit regere errorem suum per loquendi modos, ut Augustinus dicat, sine scrupulo hæc acciperentur, si non ab illis, quorum sensus est notus, dicerentur; ita enim loqui cœpit, Gratiam adjuvare bonum hominis propositum, non invito tamen & reluctanti studium virtutis immittere. Item, in omni opere voluntatem à Gratia semper adjuvatis intelligebat autem, hominem sine motu Spiritus Sancti ex suis viribus posse bonum concipere propositum, & quando ipse per se inchoavit opus bonum, *tunc demum adjuvari à Spiritu Sancto*. Hæc utut prolixiora censui adponenda ideo ex opere nunquam satis laudato, quia id in paucorum manibus versari cum dolore fatendum est, publica verò autoritate restituendum & iis omni modo commendandum, qui ad seriam & fundamentalem Theologiæ etiam Historiæ notitiam per ætatis & Judicii aderescentis maturitatem in orthodoxia à variis reducturæ Barbarici machinationibus conservationem manu sunt ducendi.

Eat autem nunc *Petavius*, non amplius ad Germanos, quos fortè putavit simplices, verum ad alios, etsi videtur ita, redeat ad Gallos, cives suos, & experiatur, num inter illos sit inventurus, qui fidem ei adhibeant id dicenti, cui contrarium ostendit ipsa rerum non in occulto gestarum series, si nullibi alias, certè in ipsis Augustini operibus tam luculenter exposita, ut mirum sit, eum, qui Augustinum diligenter evolvendo quasi devorasse & concoxisse, inque succum & sanguinem convertisse voluit videri, hoc non observasse, quod cuius lectori non potest esse non obvium. Quia etiam scire potuit, oculos quàm oculum, aut plures quàm duos in uno Authore perlegendendo plus videre & observare, hinc non ita contentui habere debuit *Cheremnitium*, quem Bellarminus inter potiores habuit Antagonistam. Huic certè si quid temporis in hac præsertim Controversia impendisset, non tam turpiter esset lapsus, nec Eruditionis famæ tam insignem inuississet maculam. Ut enim inadvertentiæ hoc adscribam facit, quia in *Quæstione* paulò antecedente de *Electiõnis Gratia* mentem Augustini satis candidè aperuit, etsi aliam planè defendens sententiam, quod pro singulari, apertæ ingenuitatis documento debet haberi.

De cætero sicut Pelagium in æquivocationis, lubricæ sophisticationis, ultroneæ involutionis, simulatæ etiam non semel mutationis studio & studio vidimus, ita è contrario ad maximam Augustini laudem pertinet omnino, quod, quamvis id maximi fuerit laboris & plurimi sudoris opus, aperto Marte congregari maluerit cum Pelagio, bonitate nimirum causæ fretus, quam ex Verbo DEI defendit constans, & hinc etiam gratia ejusdem victor gloriosissimus. Multum videlicet operæ posuit in evolvendo statu Controversiæ, vocabulisque explicandis, quæ ad Quæstionem erant necessaria, adeoque evocando ex latebris Pelagio, ad quas se ut plurimum receperat, dispellentisque illis errorum tenebris, in quibus, etsi non invitus, sed claram fugiens ultro lucem versabatur cum suis sectatoribus.

Hinc, quod sub initium hujus Tractationis è *Chémnitio* monui, maximæ adhuc hodiè debentur Augustino gratiæ ob navatam hanc utilissimam Ecclesiæ & Alcehæ S. operam, ob quam honor ejus, nomen augustissimum, laudesque manebunt perpetuæ, imò æternæ. Neque fuisset opus, ut *Petavius* demonstratione hujus tot impletet paginas frustra, cum id nemo hætenus parum per in scriptis Augustini versatus vocaverit in dubium, aut ad rem hanc, de quâ agitur, id fuerit necessarium, nemine de Augustini fide unquam sollicito, utpotè in quibusvis disputationibus semper apertissimi. Et utinam *Petavius*, cui modò apertæ ingenuitatis elogium fuit concessum, in hac eadem controversia Augustini sinceritatem amplexus, ejusdem vestigia secutus esset, & non fuisset passus à præjudiciis, quibus hodiè laborat Ecclesiæ Romanensis in non uno Fidei articulo, se occupari, quæ turbidissimis Pelagianorum fluminibus, à fonte Verbi Divini perennifluo procul remotis, & ex humanarum philosophicarumque lacunarum rivulis plurimum fordis & cæni secum trahentibus suam debent originem, nunquam in hunc cecidisset labyrinthum.

Ad hoc enim accusationis caput nos nunc vocat ordo tractationis *Petavianæ*, in quâ porro venit notandum, quod contra omnem veri rationem & speciem obruditur orbi Christiano, quasi Definitio liberi arbitrii Aristotelico-Pelagiana definitioni ejusdem in Ecclesiâ Catholico-Christiana ex Verbo DEI receptæ, & ad statum amissæ Imaginis Divinæ ante restaurationis gratiam adplicatæ nullo planè modo sit contraria, sed utraque pari passu possit ambulare, vel, uti in Verbi scriptis & ore tenus traditi discrimine tollendo decreverunt Patres Tridentini, *pari affectu pietatis* sit suscipienda, & ab ipsomet Augustino sit agnita & suscepta, quod inde possit cognosci, quia nullibi eam publicè legatur repudiasse. Magnum & hoc postulatum, momentique omnino majoris, si tam firmo & certo gaudeat fundamento, quam probabili ad externam speciem formâ à Theologo quondam Rhetore fuit propositum & lectori inculcatum: Equidem, liberi arbitrii definitionem Aristotelicam, cui Pelagianam adjungit parallelam *Petavius*, ex lumine videlicet naturali & rationis cognitam atque conceptam, Augustinus non repudiavit, nec repudiant Evangelici; quod ex illorum constat scriptis, quæ Philosophiam & Theologiam naturalem ac rationalem enucleant numero satis magno & innumero ferè, quorum in seire *Philosophica Meisneri* non ebria, sed *sôbria* potiorem occupare potest locum. Verum aliud est loqui de libero hominis arbitrio naturaliter considerato, aliud, ubi lumen revelationis scriptæ nos informat de eo hominis statu, quem Aristoteles cum omni Philosophorum scholâ habuit incognitum, atque ex lumine naturali & ratione sibi relicta, sine altiori Gratia cognoscere nunquam potuit, & cæcutit circa illius notitiam sibi ipsi relictus inlita talpæ aut vespertilionis, quibus etsi non planè omnem usum oculorum denegavit natura, ita tamen is videtur tenuis, ut non paucis habeantur pro cæcis omnino.

Atque hoc sensu, quod statum videlicet post lapsum, arbitrii liberi definitionem Aristotelicam, si ad actiones non naturales, morales, civiles, omnesque alias ad inferius hemisphæricum pertinentes, sed theologicas, spirituales celestes, negotiorumque Conversionis & salutis æternæ concernentes respiciatur, Augustinum non adprobasse, sed reprobasse ex iis fiet

manifestum, quæ Tractatio proximè sequens suppeditabit. Ea inter hoc potest *Petavii* & simul ejus exemplo Pelagii & Aristotelis in arbitrii liberi definitione adprobanda sectatoribus ad ulteriorem commendari meditationem, quid statuendum videatur de ejusdem liberi arbitrii definitione stoicâ, quibus non ad eò absurdum vel paradoxum erat aut contradictorium, homini in omnibus suis actionibus libertatem voluntatis adscribere, & simul tamen facto cum adligare; quod ex Cicerone, Seneca, Epicteto, aliisque pluribus aliis deducitur amplissime.

Nunc aliud sequitur à *Petavio* obtrusum lectori, quo arbitrii à necessitate liberi statum porro se obtinere putat, concedens quidem ex Augustino, id per originale peccatum esse vulneratum, saucium, debilitatum atque sauciatum, addens autem, verum non ex Augustino, ita illud CHRISTI gratia sanari ac adjuvari, non ut patiatum tantum, ac mere se habeat passivè, sed ut agat & noverit aliquid eo genere actionis & opera, quod naturale & instum sit libero arbitrio. Augustini sententiam quod attinet, ex sequentibus liberi post lapsum arbitrii epithetis constabit, dictum illud fuisse ab eo vulneratum, non eo sensu, quasi instar hominis quocunque corporis membro vulnerari possit Medico cooperari ad sanitatem & integritatem recuperandam, quod iis etiam Augustini sententiis contrarium, quæ in antecedentibus non parè fuerunt adductæ à Glossis impertinentibus vindicatæ, sed quod in ipso etiam actu sanationis, liberationis, conversionis, justificationis non nisi passivè se habeat, voluntasque agat non ex propriis viribus, sed mota, sanata, liberata, conversâ per solam CHRISTI gratiam medicinalem, sine quâ etiam post impetratam sanitatem & liberationem fideles conversos jam & justificatos in cursu Christianismi & renovationis quotidianæ nihil posse boni & DEO grati efficere, ex ore Medici ipsius habemus, cui naturam hominis ante & post lapsum, ante & post Conversionem esse & fuisse cognitissimam, nemo dubitat. Et ne rigidior hæc phrasis videatur, recteque à quibusvis intelligatur, placet hic subungere explicationem ejus à *Concordia libro* Ecclesiæ Augustinam Confessionem sincere amplectentibus Symbolico, negotio huic non parum lucis adlaturam.

Igitur in Epitome Articulorum inter Theologos controversorum, post rejectionem quorundam Dogmatum erroneorum, quæ Doctrinæ Evangelicorum in hæc Quæstione adversantur, adprobata Augustini sententia, quæ DEUM in Conversione ex nolentibus volentes facere scripsit, sequentia noratu digna adponuntur: *Quod D. Lutherus scripsit*; hominis voluntatem in Conversione purè passivè se habere, id rectè & dextrè est accipiendum, videlicet, respectu Divinæ Gratiæ in accendendis motibus novis, hoc est, de eo intelligi oportet, quando spiritus DEI per Verbum auditum aut per usum Sacramentorum hominis voluntatem adgreditur, & Conversionem atque regenerationem in homine operatur.

Postquam enim Spiritus Sanctus hoc ipsum jam operatus est ac effecit, hominisque voluntatem solâ suâ Divinâ virtute & operatione immutavit atque renovavit, tunc revera hominis nova voluntas illa instrumentum est & organon DEI Spiritus Sancti, ut ea non modo Gratiâ adprehendat verum etiam in operibus sequentibus Spiritui Sancto cooperetur. Et in iteratâ repetitione idem pluribus & aliquantoprobrius exponitur, minirum: *Quando Doctor Lutherus adfirmat*, hominem in Conversione suâ purè passivè se habere, id est, planè nihil agere, sed tantummodo pati id, quod DEUS in ipso agit; certè non sentit, quod Conversio absque prædicatione & auditione Verbi DEI fiat, neque hæc ita voluit accipi, quasi in Conversione per Spiritum Sanctum prorsus nulli motus novi in nobis excitentur, neque ulla spiritualis operatio, in nobis inchoetur, sed hoc voluit, hominem ex seipso aut naturalibus suis viribus non posse aliquid conferre vel adiumentum adferre ad Conversionem suam, & Conversionem hominis non tantum ex parte, sed totam prorsus esse operationem, donum & opus solius Spiritus Sancti, qui eam virtute suâ & potentia per verbum in intellectu, corde & voluntate hominis, tanquam in subiecto patiente, ubi homo nihil agit aut operatur, sed tantum patitur, efficiat & operetur. Hæc si adjiciantur iis, quæ supra ad statum Controversiæ sunt obser-

observata, facile poterunt sententiam Evangelicorum circa necessitatem libertati connexam ab iis absolvere absurditatibus, quibus eam communiter Antagonistæ solent facere obnoxiam; nobis nunc cum *Petavio* plus iultra euntibus, ad ea videlicet loca breviter examinanda, quibus pro indifferentia liberi arbitrii post lapsum ex Augustini scriptis abutitur *Petavius*, spem victoriæ indubiam exinde sibi promittens.

Ante cætera verò omnia insignem principii petitionem lectori proponit, dum citatis duobus ex opere de *Correptione & Gratia*, uti etiam libris de *Civitate DEI* testimoniis, quæ partim de statu hominis ante lapsum, partim de statu perfectæ beatitudinis per utriusque collationem agunt, eidem voluit persuasum, alia quoque Augustini loca, quæ de statu post lapsum ante Conversionem agunt, (hic enim solus nunc venit in controversiam) & in quibus arbitrii libertatem mansisse docet, de eadem voluntatis indifferentia, quæ in statu ante lapsum habuit locum, intelligi debere; quod quàm à mente & sententia Augustini sit alienum, partim ex antecedentibus constat, partim sequentia proximè docebunt, quorsum non semel hæcenus est facta provocatio. Liber certè de *Gratia & Libero arbitrio*, ad quem *Petavius* provocat, id adeò non evincit, ut, qui cum legit cum ordine, cogatur agnoscere, respectum in eo esse vel ad statum liberi arbitrii post conversionem & regeneratorum, vel ad statum ante Conversionem circa non spiritualia & ad æternam salutem ducentia, sed ad moralia tantùm opera, & quæ civiliter bona dicuntur aut laudabilia habentur. Patere id potest ex iisdem verbis totius operis proœmialibus, quæ *Petavius* sibi putavit inservire, dum Augustinus monuit expressè, se contra duas sententiarum extremitates acturum, unius eorum, qui in Gratia nimia defensione liberum negant arbitrium, alterius verò eorum, qui per Gratia defensionem exultant liberum negari arbitrium. Sed falsus est atque deceptus scriptor Gallus, dum Augustini Scopum hæc verbis expressum non ritè perpendit. Quia enim pro non gratia, sed libero arbitrio utriusque sententiæ respectu fuit agendum Augustino, visus est eidem id adscripsisse, quod vult *Petavius*; sed visus est tantùm, non revera quidquam adscribens libero hominis post lapsum ante Conversionem arbitrio, in spiritualibus nimirum, atque ad Conversionis negotium pertinentibus, quod Evangelicorum doctrinæ ullâ ratione videri potest contrarium. Ostendi id potest verbis proœmium proximè sequentibus: *Revelavit nobis DEVS*, inquit, *per suas scripturas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelavit, commemoro* (Erasmus ad marginem habet, commemoro, pro, commonefacio) *vos, non humano eloquio, sed Divino. Primum, quia ipsa præcepta Divina homini non prodesse, nisi haberet voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa perveniret præmia; idè enim data sunt, ut homo excusationem de ignorantia non haberet, sicut Dominus dicit in Evangelio de Judæis, Si non venissem, & locutus eis fuisset, peccatum non haberent, nunc autem non habent excusationem de peccato suo. De quo peccato dicit, nisi de illo magno, quod præciebat eorum futurum, quando dicebat ista, id est, quod eum fuerant occisuri; neque enim nullum habebant peccatum ante-quàm CHRISTVS venisset in carne ad eos.* Satis manifestum fecit Augustinus hoc exemplo, sermonem esse sibi de libero voluntatis arbitrio non irrogenitorum, sed regeneratorum, quales tum erant Judæi, per Sacramentum Circumcisionis Fœderi Gratia inferti, & Mediorum ad æternam salutem necessariorum per Johannis & CHRISTI prædicationem participes facti, sed ab utriusque beneficii usu & fructu per nefarium & detestandum ejusdem arbitrii abusum ultrò & voluntariè se excludentes, ita ut in extremo quondam Judicio ob id ipsum futuri sint omni ex parte inexcusabiles. Quæ sequuntur ibidem, referri quidem debent ad statum ante Conversionis Gratiam, sed non quasi vires arbitrii quidquam valerent ad ejus impetrationem, verùm respectu operum moralium & earum inter gentes aliquanto moraliores, modestiores & moderatiores virtutum, ob quarum intermissionum, earumque loco vitiorum à lege naturali prohibitorum & justissimè damnatorum sine omni pudore & rubore peptatorum, maximus Apostolorum Paulus, primæ Epistolæ ad Romanos capite, gentes fore dixit olim apud DEUM inexcusabiles. Atque his similia sunt pleraque & omnia ferè in toto hoc opere Augustini de *Gratia & libero arbitrio*, ut frustra *Petavius* indiffe-

Joh. 15.

indifferentiam voluntatis humanæ post lapsum ad utrumque, bonum scilicet ac malum, id est, bonum spirituale & ad ipsam ducens Conversionem ac Justificationem in eodem quæsi verit.

Similem operam inutilem tractavit in commendando, uti vocat, *de rectorio* ejusdem Augustini testimonio, quod ex opere *de Spiritu & literâ* adduxit, ubi in primis illa agitatur Quæstio, *unde proficiatur Fides?* Circa cujus resolutionem etiam Pater sanctus, in genere de potestate agens, eam sic definiuit, quod sit, *ubi voluntati adiacet facultas faciendi*, quæ verba *Petavio* videntur favere, contra necessitatem libertati conjunctam in homine post lapsum, indifferentiæ voluntatis ad utrumque, credendum videlicet & non credendum; sed si præter antecedentia proximè, quæ voluntatis & potestatis naturam per utriusque comparationem explicant, ad consequentia etiam respexisset, quæ ipsam Fidei radicem & primam originem ostendunt, non ita crudè sententiam Augustini proposuisset. Ad antecedentia, quæ *Petavius* in hoc negotio observare neglexit, pertinent sequentia: *Sicut qui vult, habet voluntatem, ita potestatem, qui potest. Sed ut potestate aliquid fiat, aderit voluntas; neque enim dici solet potestate quispiam fecisse, si quid fecit invitus. Quanquam si subtilius advertamus, (utinam Petavius subtilis advertisset!) etiam quod quisque cogitur invitus facere, si facit, voluntate facit; sed quia malit aliud, idè invitus, hoc est, nolens facere dicitur, malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare vel à se remove, facit, quod cogitur, nimirum, facere. Nam si tanta sit voluntas, ut malit hoc non facere, quam illud non pati, cogenti procul dubio resistit nec facit; at per hoc si facit, non quidem plena & libera voluntate, sed tamen non facit, nisi voluntate, quam voluntatem quia consequitur effectus, non possumus dicere potestatem defuisse facienti. Si enim cogenti cedens vellet facere, nec posset, ei voluntatem adfuisse, licet extortam sed potestatem defuisse diceremus; cum verò ideo non faciebat, quia volebat, erat utique potestas, licet voluntas deerat, quamdiu cogenti reluctando non fecit. Non obscura puto hæc esse verba, quibus contra *Petavium* expressè docuit Augustinus, voluntatis arbitrio non adversari omninò, si quis dicatur aliquid etiam invitus facere, neque adeò absurdum esse, voluntatem dicere extortam, quod idem est, ac voluntatem necessitate adactam & quasi victam aut certo respectu coactam. Sequentia, quæ ad ipsum fidei fontem nos ducunt & docent, undè ipsum velle credere habet homo & accipiat, nempe non ex arbitrio libero, sed ex DEI gratiosè vocantis dono, supra ex hoc eodem opere sunt adducta, neque hic repetenda sunt.*

Jam si in Examine suscepto progrediamur ad illud Testimonium, quo ex opere *de Peccatorum meritis & remissione* *Petavius* est abusus, quamvis illud quoad potius argumentum huc non pertineat, agens nimirum de possibilitate impletionis præceptorum Decalogi, quam infra DEO volente tractabimus, illud tamen insuper etiam interea notari debet, in eo, sicut in plerisque hætenus, Augustino non sermonem esse de arbitrii libertate in statu Lapsus sed in statu restitutionis & liberationis à jugo & servitute peccati, quod ipsius Quæstionis sensus *Petavium* potuisset docere, quem vix puto cogitasse, ut Augustino venerit in mentem, defendere, hominem ante Conversionem, quoque etiam modo, per arbitrii liberi vires ad utrumque indifferentes posse esse sine peccato, præterquam, quod Augustinus expressè satis, se de statu post Conversionem loqui indicavit verbis à *Petavio* omissis, at omittendis minimè, quæ Arbitrium liberum commendans subjunxit, *Ipsum quoque liberum arbitrium ad DEI gratiam; hoc est, ad DEI dona pertinere non ambigens, nec tantum ut sit, verum etiam ut bonum (NB.) sit, id est, ad facienda Domini mandata convertatur, atque ita DEI gratia non solum ostendat, quid faciendum sit, sed adjuvet etiam, ut possit fieri, quod ostenderit.* Notanter addidit Augustinus Doctor, *ut bonum sit, videlicet arbitrium, ostendens, illud ante Conversionem non nisi malum esse, adeoque illa ad utrumque, bonum scilicet & malum, indifferentia carere, pro quâ hætenus Augustinum disputasse voluit Petavius, qui in sequenti etiam loco occupatus præjudicio non vidit quod factis est manifestum.*

Est autem desumptus ex libro *de Naturâ & Gratia*, quem quia dicit verum & catholicum dogma complecti, eò gratior esse nobis debet atque acceptior. Atqui dum ex lapsu hominem non sanum dicit esse, neque hoc solum, sed etiam omninò mortuum, ita ut *Medico*, & quidem non vulgari, sed *Vivificatore* habeat opus; nemo non videt

videt, cadere omnem voluntatis indifferentiam, & quemadmodum mortuus ad sui vivificationem nihil planè potest conferre aut ulla ratione cooperari, sic hominem ad sui Conversionem, quæ initium facit novæ in CHRISTO vitæ, non nisi passivè se habere, eo nimirum modo, quem paulò ante *Liber Concordiæ* ad *Lutheri* mentem sufficienter explicavit. Sequentem quoque locum ex Commentario Augustini in Psalmos impertinenter à *Petavio* fuisse adductum constat, si inscriptionem ejus Psalmi, cujus explicationem præ manibus habuit, intueamur, videlicet, eum fuisse à Psalte Regio compositum contra *Dæqum Edomitam*, uti vocatur in Codicibus originariis, vel juxta quosdam Græcos, *Syrum*, proditorem non modò Davidis, sed & Sacerdotidam nefarium, vel *natione*, quod plerisque videtur interpretibus, vel *moribus*, juxta alios *gentilem*, ad tamen ad minimum juxta sententiam *Tostati*, & quos vel Antecessores habet vel Successores *prosclytum*, adeoque non in irrogenitorum numero habendum; ut adeò quidquid *Petavius* ex Augustinianâ Tractatione super hunc Psalmum pro Voluntatis & Noluntatis indifferentia hic adduxit à Scopo præsentis Controversiæ abluat, nulloque modo necessitatem peccandi supra explicatam & voluntatis humanæ post lapsum ante Conversionem, quasi rem absurdam vel contradictoriam excludat, id quod de cæteris quoque testimoniis, quibus numero non parco *Petavius* hinc inde acquisitis ex Augustino suam defendere adlaboravit de indifferentia voluntatis sententiam, nunc posset demonstrari, nisi hæc possent in præsens sufficere ad ostendendum, quàm nullo, et si multo labore *Petavius* impetrare potuerit, ut Augustinus hominis arbitrium post lapsum ab omni necessitate liberum docuisse contra Pelagianos videatur.

Id solùm nunc restat, ut post *Petavii* indebita, quæ proposuit, postulata iniquitatis convicta, ac non planè nullorum Augustini testimoniorum impertinenter adductorum explicationem, ea paucissimis adhuc examinentur, quæ ad alia ejusdem sancti Doctoris loca necessitatem libertati post lapsum conjungentia conatus est respondere *Petavius*, talia ut plurimum urgens, quæ antecedentibus sunt contraria, adque sententiam Evangelicorum confirmandum possunt referri commodissimè. Et quidem in genere agnoscit ingenuè, Augustinum non eodem modo nomen arbitrii liberi usurpare, sed alio sensu atque alio; quod quomodo conveniat cum postulato superius ex *Chemnitio* sufficienter excusso de eadem ejus notione tam apud Augustinum, quàm Pelagium, videant, quorum est inter, ne *Petavius* sibi contra dixisse vel scripisse convincatur. Ad nostram quoque mentem accedit, scribens, *esse quandam servitutem & captivitatem, quæ aut spontè illigata detineatur hominis voluntas, ut in vitiosis vel infidelitate aut alio quodam morbo depravatis accidit, vel renitens & quodammodo coacta &c.* quod nihil est aliud, quam pedibus ire in Evangelicorum sententiam; quam sequentibus confirmat quoque, statum hominis regenerati post Conversionem describens, *quod solutis peccati & corruptelæ nexibus, quibus servilem in modum obligebatur, potestate suâ utatur ad illud eligendum ac faciendum, quod bonum Deoque gratum est, quod autè ne minimâ (NB.) quidem ex parte poterat præstare,* quibus verbis parum aut omninò nihil in describendo hominis ante Conversionem statu distat *Petavius* ab iis, quæ apud Evangelicos publicè docentur de eodem. De cætero, quæ inter Augustinum & Pelagium venerint in controversiam circa hunc statum, repetere non est opus. In respondendo autem ea Augustini testimonia, quæ cum libertate hominis aliquam inferunt necessitatem, dum eam dicit non esse absolutam, Evangelicos sibi habet consentientes planè; quamvis in proximè sequentibus peccet, dum minimè eos peccare dicit, *quicunq; ita se habent, ut actioni suæ ac voluntati nequeant moderari, quia non tam agant, quàm agantur, & impetu quodam rapiantur ad unum aliquod persequendum,* adductis exempli loco amentibus & parvulis; qui tamen castigantur & puniuntur, quod injustè fieret, si non peccarent vel legem transgredirentur. Correctionis instar est, quod immediatè his subjungit in describendo statu regeneratorum, *eos dominante concupiscentia ac libidine premi, vel peccandi dulcedine ac consuetudine sic esse (aliquando) irretitos, ut penè in naturam illa transcat adfectus, adque sic vi & necessitate quadam trahi, ut interdum inviti ac renitentes cogantur facere, quod nolunt,* laudato ad ejus confirmationem septimo Epistolæ Pauli

Pauli

Pauli ad Romanos capite; unde quâ ratione è minori ad majus, à statu regenitorum, de quo Apostolus ibi propriam sistens personam agit, ad statum irregenitorum liceat firmiter concludere & argumentari, nemo logicæ etiam naturalis tantum peritus non agnoscit. Quod in specie atinet loca ex opere imperfecto Augustini contra Julianum hoc demum seculo è Codicibus Manuscriptis publicato, item ex libro contra Cœlestium de *Perfectione Iustitiæ*, quæ necessitatem peccandi post lapsum homini expressissimè adscribunt; inter tria, quæ ad illorum & similitum explicationem observanda commendat *Petavius*, postremum proximè ad sententiam Evangelicorum accedit, dum necessitatem hoc etiam modo scribit usurpari, *ubi id necesse dicitur, quod absolute quidem potest non fieri, quia in voluntate facientis est situm, sed ex certis rerum, temporum ac personarum circumstantiis difficile est non fieri, imò semper fit.* Atque hæc possunt hâc quidem vice contra *Petavium* sufficere, post cujus labores vix quidquam novi ad præsens negotium circa Augustini autoritatem pertinens apud recentiores invenitur, ut adeo ulterioribus vindictis Pater augustus non indigeat, in hâc etiam Controversia Testis & Confessor Evangelicæ veritatis constantissimus.

LIBRI QUARTI,

CAPUT SEXTUM,

De

Arbitrio Servo.

PRætermittendæ sunt plurimæ Quæstiones, quas Bellarminus stylo non nisi Scholastico partim contra semetipsum, partim contra alios sui ordinis tractavit, non planè nunquam à tramite Veritatis etiam ab aliis agnitæ errans, Statum Controversiæ sæpius mutans, ac ita confusè in toto hoc negotio versans, ut non semper constet, contra quos agat aut disputet, rarius certè contra hæreticos, quos vocat, in quorum gratiam tamen opus hoc in Titulo scriptum legitur. Ut autem vel tribus verbis de unâ & alterâ Quæstione quasi in transcurso sententiam dicamus, capite octavo libri antecedentis tertii, ubi demonstrare contendit, *liberum arbitrium esse ipsam voluntatem ac ita liberam, ut tamen determinatur à judicio ultimo practice rationis*, sextam Propositionem hanc formavit, *Voluntatis electio pendet necessario ab ultimo judicio practice rationis* quo ipsomet sibi juxta sententiam in Controversia præcedente defensam contradicit, & simul pro Evangelicis scribit atque ostendit, posse voluntatis libertatem stare cum aliquâ necessitate, quam Augustinus etiam non semel inculcavit, ac in præsentem etiam Quæstione porò inculcabit. Ita non æquè manifestum est, quomodo sine apertissimâ contradictione voluntatis electio dependere dicatur necessariò ab ultimo rationis practice judicio, & simul statuatur, *liberum arbitrium esse potentiam voluntatis non partim activam, partim passivam, sed simpliciter & absolute activam*, quod capite sequenti decimo contra ceteros Doctores Scholasticos non paucos, nec inferioris Subsellii staturit Bellarminus, hic etiam, ut alias non semel, sui & ante à se scriptorum immemor. *Capitis duodecimi* Inscriptio nimis cruda est ac nuda, *Per liberum arbitrium non expetimala, sed bona*; quam nuditatem crudam & nudam cruditatem aliquantò ornatiorem & magis excoctam post exhibuit, respondens ad objectam Augustini autoritatem, de semet ipso in opere Confessionum scribentis, *se in Furto non amasse, nisi peccatum*, explicando id ipsis Augustini verbis, mentem suam ita exprimentis *amasse se quidem in furto peccatum, sed sub ratione boni delectabilis, quia nimirum & avulsus cum sociis fallere vicinum.* Et dum capite post decimum quarto scribit atque docet, *liberum arbitrium non esse ipsius finis objective, sed mediorum ad finem*, confundit ipsam libertatem voluntatis in agendo & exequendo cum prævia consultatione & sequente eam electione, his ad media magis, illâ ad finem magis respiciente; ut utrobique finis & media simul

lib. II. c. 4.
& 9.